



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

Liber Tertius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**



LIBER TERTIUS  
CONTINENS PROPOSITIONES  
AB ALEXANDRO VIII.  
PROSCRIPTAS.

Relatis ab Alex. VII. & Innoc. XI. circumscriptis propositionibus, alias duas ab Alex. VIII. *sub die 24. Augusti de Anno 1690.* aboletas, doctrinam morum tangentes, subnectimus; quarum noticiam pro praxi, Confessario necessariam, hic reddimus.

CAPUT I.

Prop. I. ab Alex. VIII. Sc.  
*Amor Dei.*

**P**ROP. I. *Bonitas obiectiva consistit in convenientia cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. HUNC HOMO non tenetur amare neque in principio, neque in de- cursu vite sue moralis.*

Videtur esse commune inter DD.

bonitatem obiectivam actus moralis consistere in convenientia obiecti cum natura rationali; & formalem, in conformitate actus cum regula morum: adeò ut actus ille sit moraliter bonus ex obiecto, qui tendit in obiectum, qua honestum est, & rectæ rationi conforme, ut est: *parentibus obedire, non occidere, non mentiri, temperatè vivere, &c.* Verùm, quia obiectum non transfundit in actum bonitatem, vel malitiam, nisi cognoscatur, & bonitas voluntati proponatur, ideò.

3. Nota. I. duplicem regulam morum statui, aliam proximam, remotam alteram: Remota est ipsa lex, sive naturalis, sive positiva divina, vel humana, Ecclesiastica, seu civilis. Proxima verò

(lii) 2

est



est conscientia, seu iudicium intellectus dictans hic, & nunc hoc esse bonum, vel malum; cui, si voluntas se conformat, actus est moraliter bonus, & si desleat, est malus.

4. Nota II. Quod, ut actus sit moraliter bonus non debet objectum, alias in se bonum, affici circumstantia mala, propter quod subventio pauperis ex re aliena, non est bona, sed mala.

5. Nota III. Posse contingere objectum esse in se malum, & actum esse bonum: ut, si quis ignorantia invincibili putaret licitum esse die festo sacrum omittere, omittendo, non peccaret: licet omissio in se esset mala; quemadmodum, si quis, inculcata ignorantia, credat peccatum esse audire Sacrum die festo, audiendo peccat, licet objectum in se sit bonum. Ratio est, quia actus non specificatur ab objecto, ut est in se, sed, ut à dictamine conscientie voluntati proponitur. Et hinc semper debet esse conformis suae regulae proximae. *Vide lib. I. cap. 20.*

6. Nota IV. De necessitate ad actum, ut sit bonus moraliter, dignus nimirum laude, vel premio, requiritur, ut sit conformis regulae proximae, & ab ea regulatus.

Propositio quoad istam partem. *Hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis, est haeretica, ut potè contra expressa testimonia Scripturae, quae obligationem amandi Deum ostendunt.*

Quamvis *lib. 2. cap. 5.* plura dixerimus, quae Dei dilectionem tangunt; & *lib. I. cap. 1.* tempus nota verimus implendae obligationis per se amandi Deum, ni-

hilominus alia quaedam, quae ad idem spectant, hic non inuoliter putamus esse tangenda.

7. Quaeitur, *penitens, lecto decreto Alex. intelligit propositionem, quoad eam partem. Hunc, &c. ac haereticam, esse damnatam, peti proinde instrui, inquam Scripturae textu obligatio diligendi Deum contineatur?*

Resp. Si loquamur de obligatione diligendi Deum amore charitatis. *Magth. 22. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum. Joan. 15. Christus Dominus dixit: manete in dilectione mea, Ecclesiast. 7. in omni virtute tua dilige eum, qui te fecit. Deuter. 10. ama itaque Dominum Deum tuum, & observa praecepta eius. Si verò sermo sit de obligatione diligendi ipsum amore Spei: Ecclesiast. 2. crede Deo, & recuperabis te, & dirige viam tuam, & spera in illum, qui timetis Dominum, sperate in illum; vide Lauræam 1. 4. de spe, & charit. disput. 4. art. 4. a num. 184. Est communis sensus Ecclesiae, & de fide, dari praeceptum credendi, sperandi, & diligendi Deum super omnia.*

8. Sed quaeritur, *quomodo differant amor charitatis & Spei.*

Resp. Quamvis ambo Deum respiciant, quia uterque est amor Dei: amen differunt ex hoc, quod ille Charitatis Deum respicit, quia in se bonum, sed, quia est summum bonum, propter se diligendum: & idè dicitur amicitia; ille verò Spei, in Deum tendit quia Omnipotens, & Misericors est, à quo beatitudinem expectamus juxta dicta *lib. I. cap. 1.*



Beatitudinem per spem concupiscimus nobis, non ut fini, sed ut subiecto, ipsa perficiendo: & hinc amor Spei dicitur concupiscentia. Quas rationes cognoscit fides supernaturalis in Deo, easque voluntati proponit; unam, quod Deus sit in se infinite bonus, propter se diligendus; & aliam, quod sit bonus nobis, per aeternam beatitudinem, visionis, & fruitionis: utraque debet relucere in intellectu amantis: sed prima movet ad actum Charitatis, secunda, ad actum Spei.

9. Nec Deus potest amore Charitatis supernaturalis amari, quin prius per fidem supernaturalem cognoscatur, quod sit in se infinite bonus, propter se amandus: nec amore Spei, quin fides ipsa voluntati ostendat, ipsum esse bonum nobis per beatitudinem aeternam; quia fides est supernaturalitatis initium, fundamentum humanae salutis, ac omnis justificationis radix, ut loquitur Trid. sess. 6. cap. 8. de iustific. Et nos diximus lib. 2. cap. 3. num. 10. Lege Const. Innoc. XII. Cum alias editam contra errores Archiepiscopi Cameracensis; cuius notitia satis est utilis, pro praxi à Directoribus tenenda cum proficientibus vitam spiritualem.

10. An autem Deus sit amandus super omnia intensivè, vel appetitivè? recurras ad cap. 5. cit. nu. 5. Et adhas, Deum esse omnibus rebus anteposendum, non sola mentis aestimatione, sed etiam voluntatis affectu, vincendo cuiuslibet rei create amorem, qui illum Dei impedit, juxta illud diliges Dominum Deum tuum, &c.

## CAPUT II.

Prop. II. ab Alex. VIII. Sc.  
Peccatum philosophicum.

1. PROP. 2. Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali, & rectae rationi. Theologicum verò, & mortale, est transgressio liberae divinae legis; philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Libro 1. cap. 17. num. 2. § 3. definitionem, & divisionem peccati dedimus, & alia plura fuerunt pro praxi Confessarii proposita, quem propterea ea legere non pigeat.

2. Authores propositionis, quicumque sunt, videntur loqui de peccato philosophico, & Theologico, ac, si essent duo peccata practice divisa, sic, ut illud ipsum peccatum, quod est philosophicum, non sit etiam Theologicum; & quod Deum non offendat, qui de ipso actu non cogitat, vel ipsum ignorat (quod ipsi supponunt contingere posse) quamvis grave peccatum philosophicum committat. Contra quos plura dabimus adnotata, & resoluta.

Interim observa, quod lex aeterna Dei, quam loc. cit. c. 21. nu. 2. § 3. descripsimus, nobis innotescit, & intimatur independenter à divina revelatione, & extrinseca libera promulgatione, sed per lumen naturale, &, dum usum

(Iii) 3 ratio-



rationis accipimus, nobis notificatur; cum statim cognoscamus, quæ habent convenientiam, aut disconvenientiam cum ratione, & natura rationali; ad quæ ex natura rei obligamur independentè à lege positiva. A quo tempore lex naturalis nos incipit obligare, quia tunc eam legem discernimus, adeoque inter bonum, & malum. Et inde fit, quod si non supervenisset lex positiva externa Dei per revelationem, & locutionem liberam, in tempore factam Moyfi in revelatione Decalogi, prohibentis homicidium, furtum, &c. & præcipientis Dei cultum, &c. adhuc obligati essemus ad non occidendum, non furandum, &c. & Deum colendum, diligendum, &c. Quia huiusmodi locutio, & revelatio in tempore, aliud non operatur, quàm facere externam legem illam æternam.

3. Quòd ea lex sit naturaliter nobis per lumen rationis promulgata, independentè ab omni promulgatione libera externa, patet. Tum ratione: ex quo nimirum lex naturalis sic dicatur, quia vim obligandi habet independentè à lege omni externa positiva: tum auctoritate Scripturæ: maximè ex illis Psalmi 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* & ex aliis Pauli ad Rom. 2. Ubi: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et August. lib. 2. *Confess. cap. 4.* *Furtum certè, inquit, puniit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam, ne ipsa quidem delet iniquitas.*

4. Pondera etiam, non posse in prædici ignorantiam invincibilem Dei; nam Dei existentia est naturaliter ex effectibus cognoscibilis juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, sicut sunt inexcusabiles.* Est res apud DD. certa. D. August. in Psalm. 74. ait: *Deus ubique secretus est, ubique patens, quem nulli licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Et D. Greg. exponens illud Job. *omnes homines vident Deum, lib. 2. moral. cap. 3.* addit: *omnis homo, ex hoc ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit.* Ignorantibus Deum maledictionem regius patet psal. 38. *imprecatur illis verbis: effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Quod factè non faceret, si illa ignorantia foret inculpabilis.

5. Quòd confirmatur, ex quo Deus omnibus Hominibus det media conducentia ad sui cognitionem, teste Joan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et 1. ad Timoth. 2. dicitur; *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* ergo nullus potest Dei ignorantiam habere.

6. Tandem animadvertas, quædam esse mala non ab intrinseco, sed mala, quia prohibita, ut est esus carniùm die veneris, ommissio auditionis Missæ die festo, &c. Et alia ab intrinseco mala, seu prohibita, quia mala, ut sunt mer-



dacium, blasphemia, odium Dei, &c. Quæ sunt mala, quia prohibita, poterant à Legislatore non prohiberi; & sic poterat fieri, ut mala non essent: ita estus carnis die veneris, malus non fuisset, si Ecclesia sua lege eum non interdixisset. Quæ verò sunt prohibita, quia mala, non poterant non prohiberi. Unde lex naturalis immutabilis dicitur, & quod non potuit non præcipere amorem Dei, non prohibere mendacium, odium, &c.

7. Quæritur, penitens Confessarium sic alloquitur; Pater, audi vi ab Alex. VIII. esse damnatam propositionem agentem de peccato philosophico, & Theologico, vellem scire, quomodo hæc peccata distinguantur, & quare sic nominentur?

Resp. Dicas distinguuntur secundum diversas considerationes. Exemplum ponas in homicidio Hominis. Quod consideratum, prout est disconveniens dictamini rationis, proponenti voluntati, hoc generale principium legis naturalis: quod tibi non vis, alteri ne feceris: damnatum proximo contra virtutem iustitiam non est inferendum (ad quod, præcisa etiam lege positiva externa, tenetur) dicitur peccatum philosophicum; quia ad Philosophum spectat Legem, & virtutes morales considerare. Inspectum verò, prout est contra legem æternam, & ut offensam Dei, dicitur Theologicum, juxta definitionem ab Augusti. datam: peccatum, est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam: considerare enim Deum, & legem æternam ipsius ad Theologum spectat.

8. Sed quæritur, an idem peccatum,

quod est philosophicum, sit etiam Theologicum?

Resp. Affirmativè, nam à parte rei non datur peccatum philosophicum, quod non sit etiam Theologicum; cum non detur peccatum philosophicum, quod non sit contra rationem, & legem naturalem; sed peccatum, quod est contra rationem, & legem naturalem, est etiam Theologicum; quia omne, quod est contra rationem, & legem naturalem, est contra Deum, & legem æternam ipsius: cum lex naturalis non sit, nisi lex æterna Dei, scripta in cordibus nostris, & omnibus naturaliter insita: vel, ut aliis placet, impressio quædam, & participatio legis æternæ; qua ratione Deus dicitur, etiam Author legis naturalis, prout loquitur Duhamel. Ergo, qui operatur contra rationem, & legem naturalem, operatur, saltem virtualiter, & implicitè contra legem æternam, consequenter contra Deum; atque ideo peccat peccato Theologico.

9. Sed quæritur, an peccatum philosophicum sit offensam Dei?

Resp. Affirmativè; ex Decreto Alex. Est enim, prout DD communiter, ut notat Lamazares qq. Theol. qu. 16. nu. 16. Contenson. Theol. ment. 5. cord. tom. 1. lib. 6. dissert. 2. cap. 1. speculat. 3. §. Hinc fit, peccato essentielle, esse injuriam, & offensam Dei primi, & Supremi Legislatoris. Omnis quippe peccator scienter, & voluntariè violans legem, qua obligatur, offendit, & injuriat Legislatorem; ergo, qui scienter violat legem naturalem, quæ est participatio legis æternæ, implicitè, & virtualiter violat legem



legem æternam, atque adeo Legislatorem offendit.

10. Quod violans legem naturalem Deum offendat, ostendit Paulus ad Rom. 2. *quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; hoc est, Gentiles, quibus lex scripta data non fuit, perierunt, quia violarunt legem naturalem, ostendentem eis bonum, & malum juxta commentum Lirani ibid. Et confirmat ad Ephel. 5, *propter hæc* (scilicet fornicationem, immunditiam, & avaritiam, quæ lege naturali prohibentur, & naturali lumine mala esse noscuntur) *venit ira Dei in Filios dissidentia: in eos, scilicet, qui in diluvio perierunt, ut ibid. cit. Lirani.* Ergo transgressio legis naturalis est peccatum, & Dei offensam. Propter quam ipse ante legem scriptam, aquis diluvii universam carnem delevit, & igne Sodomiticæ Urbis incendit.

11. Propterea ad Rom. ibid. Apostolus subdit. *Centes, quæ legem non habent* (id est Mosaicam) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt* (ex naturali scilicet dictamine rationis) *ejusmodi legem non habentes* (videlicet Mosaicam;) *sibi ipsi sunt lex: hoc est, lumine naturali cognoscunt, quid facere debeant, quidve omittere teneantur; pro ut dixit August. in psalm. 57. quandoquidem manu Formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: quod tibi fieri non vis, ne facias alteri: hoc antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, & unde judicaretur, quibus lex non esset data.*

12. Sed dubitatur, apud omnes commune est de ratione offensam esse, ut cogno-

scatur persona, quæ offenditur, sed, qui Deum, vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, tametsi furtum, vel fornicationem commiserit, Deum non cognoscit, vel, si cognoscit, ignorat fornicationem v. g. esse offensam Dei, ergo Deum non offendit?

Resp. Utique, ut quis offendatur, requiritur, ut cognoscatur, sed necesse non est, ut de ipso habeatur semper cognitio expressa, formalis, & distincta sub propria particulari ratione, sed sit est, ut implicite virtualiter, & in confuso cognitus sit. Exemplum est in filij expostis, incertis parentibus natis, qui peccato impietatis peccant, dum parentibus suis maledicunt; quia, quamvis non distincte, eos tamen in confuso cognoscunt, quatenus intelligunt se naturam ab aliis accepisse, quicumque illi sint. Et in eo, qui in corde suo propinens occidere quemvis Hominem, vel obvium, non excusatur à facillégio, vel parricidio, dum Clericum, vel Patrem occidit, quamvis in actu occisionis non distinguat, an sit Clericus, vel Pater. Ita quoque, cum Homo, quantumvis Gentilis, de Deo actu non cogitans, propter naturalem distractionem, & inadvertentiam, dum peccat contra legem naturalem, & dictamen rationis, fornicando, mentiendo, &c. peccat contra Deum, virtualiter, & implicite cognoscit sub ratione Superioris, & Legislatoris. Nam, cum evidenter cognoscit, se non habere esse à se, sed à alio accepisse, necesse est, ut item percipiat, quod dictamen suæ rationis non sit prima regula, & prima lex, nec ipse Auctor legis naturalis; sed cognoscenda hoc, debet



necessario, saltem implicite, cognoscere, quod sit alteri subordinata, & alius sit legis naturalis Author; ac proprie Deum implicite cognoscit, saltem sub ratione Superioris, & Legislatoris. Quod satis est, ut peccatum in se, & ut ab isto committitur, sit voluntarium, & offensa Dei.

13. Advertat Confessarius, ad peccatum Theologicum non requiri, quod fiat ex intentione expressa repugnandi Deo, seu ipsi legi, quia id peccato: *verbi gratia* fornicationis, adderet distinctam malitiam, contemptus formalis, iuxta dicta lib. 2. cap. 31. num. 17. Sed sufficere, ut actu cognoscatur esse contrarium Deo, seu contra legem. Et hinc fit, ut peccatum philosophicum, seu actus ab intrinseco malus, si sit voluntarius, productus, similiter cum advertentia, quod sit contra rationem, & legi repugnans, est volutus, & elicited, ut est offensa Dei; cum sit contra legem aeternam: & ex eo, contra Quis Legislatorem, qui est Deus.

14. Et propterea in propositione est manifesta contradictio: *peccatum philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum*; Nam repugnat esse grave peccatum, & non esse offensa Dei; etenim, si est grave peccatum, est contra legem naturalem, ergo contra Auctorem, & Legislatorem istius legis; sed Deus est Author, & Legislator legis naturalis, quatenus hæc est participatio, & impressio legis aeternae. *Maubancq; Censura Confessi.*

na: ergo, si est grave peccatum, est contra Deum, & Dei offensa.

15. Implicat pariter aliquem formaliter peccare, & Deum vel ignorare, vel de ipso actu non cogitare; quia, dum formaliter peccat, cognoscit se facere contra legem, ergo & contra Legislatorem: sed Deus est Legislator legis naturalis ex dictis, ergo, qui peccat contra legem naturalem, Deum non ignorat, & actu ipsum, saltem implicite, cognoscit sub conceptu Legislatoris.

16. Queritur, an peccato philosophico respondeat poena aeterna: & sic peccantes puniendi sint in inferno, si peccato non remisso, decesserint?

Resp. Affirmative, quia peccatum tale, est Dei offensa, ergo dissolvit amicitiam cum Deo, & relinquit in peccatore reatum poenae aeternae, & obligationem ad ipsam subeundam, nisi remittatur. Decretum Alexand. clarè loquitur.

17. Sed dices. Gentiles ignorant peccato fornicationis, odii Dei, blasphemiae, &c. deberi poenam aeternam, ergo ab ea excusantur; quia ignorantia excusat à poena.

Resp. Negando consequentiam. Ignorantia solum excusat à censura per DD. communiter, Fagnan. in 5. Decretal. ad cap. nobis il 1. de sent. excom. num. 40. Du-hamel tom. 3. lib. 5. differt. 3. cap. 3. à num. 10. Ratio est, quia censura, est poena extraordinaria, & regulariter non ligat, nisi contumaces, & ex contemptu operantes. Sed qui ignorat, non dicitur contumax, nec contemnere. At non excusat à poena aeterna, peccatis mortalibus correspondens, quia

(Kk kk)

quia



quia est pœna ordinaria ipsis infallibiliter annexa. Hinc est, quod, qui liberè, & advertenter in peccatum grave contra legem naturalem consentit, tacitè consentire præsumitur in penam æternam, eidem peccato correspondentem; cum non modo philosophicè, verùm etiam Theologicè, peccet, Deum offendendo.

## CAPUT III.

Una supra XXX. Propositiones ab Alexandro VIII. damnatas.  
Instructio Miscellanea.

**P**RÆSENTI hoc capite unam supra triginta propositiones ab eodem Alexandro alio suo decreto circumscriptas, edito 7. Decembr. ejusdem anni, sub titulo referimus, ut in his etiam aliquantulum instructus reddatur Confessor.

1. Propositio I. damnata. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, quæ voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.*

2. Status naturæ lapsæ, aut corruptæ is dicitur, in quo iustitia originali exuti, & peccato contaminati nascimur, in isto nulla est in Homine necessitas ad peccandum, in eum ab Adamo, liberè peccante, transmissa, ut putarunt aliqui; nam Adæ peccato nostra libertas, nec amissa, nec extincta fuit, sed in nostra potestate est tentationi consentire, vel eidem, Divina auxiliante gratia, resistere, & præcepta implere. Legas

Trid. sess. 6. can. 5. & 6. & const. Exornibus B. Pii V. in qua reprobantur plures propositiones Baii, & inter eas 39. & 64. Ac aliam Ignoc. X. editam contra quinque propositiones Cornelii Jansenii, Episcopi Iprens. in qua, ut Hæretica, hæc quarta propositio circumferretur: *Ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

3. Audias item August. de lib. Arbitr. cap. 17. quis peccat in eo, quod nullo modo cavere potest? peccatur autem, cavere igitur potest. Et lib. de Spir. & lit. cap. 3. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit; si non vult, non facit. Ergo, ut Homo fornicando peccet, eique fornicatio imputetur ad culpam, debet posse fornicationi resistere, si velit, ad quod ei divinum non denegatur auxilium; aliàs, dum impotens foret, ei, nec ad penam, nec præmium, nec vitæ æternæ, aut laudem, tribueretur, quod fornicaretur, vel non; sicut, nec mihi, quod non ambulem, dum liber ad ambulandum non sum, quamvis ligatus me catenis, & funibus, liberè liget; ergo quamvis Adam liberè peccaret, tamen mihi ad culpam, fornicari per. ge. non imputatur, si hic, & nunc non possum fornicationem vitare.

4. Adde. Si Homo non habet propriam libertatem ad non peccandum, non est unquam capax absolutionis; nam capax absolutionis non est, qui non dolet de peccatis de præterito commissis, & non proponit non peccare in futurum, sed, qui non est liber ad non peccandum.



non potest dolere de peccatis de prae-  
rito commissis: quia, qui non potest  
non facere aliquid, non nisi stultè dolet  
se fecisse: nec proponere non peccare  
in futurum, quia, qui non potest non  
facere aliquid, non nisi stultè proponit,  
& vult non facere illud; ergo asserta pro-  
positio tollit Sacramentum poenitentiae, à  
Christo institutum in remissionem peccato-  
rum actualium, quae post Baptismum  
committuntur.

5. Prop. II. *Tametsi detur ignorantia  
invincibilis juris natura, haec in statu  
natura lapsae, operantem ex ipsa, non  
excusat à peccato formali.*

Definitionem, & divisionem ignorantiae  
videas lib. 2. cap. 39. nu. 2.

6. Queritur, quid intelligatur per  
peccatum formale, quidve per mate-  
riale?

Resp. Per formale intelligitur opus,  
seu actio, quae formaliter hic, & nunc  
imputatur ad culpam, quatenus forma-  
liter opponitur regulae proxima actus  
moralis, dictamini nimirum rationis,  
dictantis hic, & nunc aliquid non lice-  
re; per materiale verò, opus, quod  
hic, & nunc tali regulae non opponitur,  
quia intellectus non iudicat tale opus esse  
aliqua lege prohibitum. Explico: iudicat  
intellectus hodie non licere trans-  
gredi legem jejunii: si non jejunes, omis-  
sio jejunii, est formaliter peccaminosa,  
& tibi ad culpam formaliter imputatur;  
quòd, si praeceptum jejunii revera existi-  
tens, inculpatò non agnoscis, & non  
jejunas, omisio est solum materialiter  
peccaminosa; quatenus secundum se  
est contra legem jejunii, & materia, ut  
in aliis circumstantiis, & supposita no-

titia de existentia praecepti jejunii, esset  
peccaminosa formaliter, & tibi forma-  
liter imputaretur; sed non est nunc forma-  
liter peccaminosa, quia non est contra  
regulam proximam, & dictamen  
conscientiae, ostendentis tibi, hodie  
urgere legem jejunii.

7. Quòd ignorantia invincibilis à  
peccato formali excuset, est commune,  
& expressa sententia D. August. lib. 3. de  
liber. arbit. cap. 19. *Non tibi deputatur  
ad culpam, quòd invidius ignoras, sed  
quòd negligis querere, quòd ignoras:*  
& alibi passim apud Autores, quibus  
addo textum D. Thomae 1. 2. q. 76. art. 3.  
ubi ait; *si sis talis ignorantia, qua om-  
nino sit involuntaria, sive quia est in-  
vincibilis, sive quia est ejus, quòd quis  
scire non tenetur, talis ignorantia om-  
nino excusat à peccato.* Ratio est, quia  
ignorantia invincibilis est omnino an-  
tecedens consensum voluntatis; nam,  
nec est directè, neque indirectè volita:  
non directè, quia erga ipsam non habe-  
tur hic expressus, & explicitus actus,  
*volo ignorare;* nec indirectè, quia non  
est implicite volita in negligentia sciendi,  
quòd scire tenemur, & addiscere  
possumus, cum nobis non innotescat,  
quid hic, & nunc debeamus scire; &  
quamvis voluntas actu non repugnet iis,  
quae ex ignorantia fiunt, repugnat tamen  
habitu, & virtualiter, quatenus,  
si adesset cognitio, actionem impedi-  
ret, per dicta cap. cit. num. 4.

8. Deinde, si ideo ignorantia invinci-  
bilis non excusat (per Autores propo-  
sitionis) à peccato, quia est peccati ori-  
ginalis poena, & ab ipso est orta: actus,  
etiam indeliberati, & non perfecte li-

(Kk kk) 2                      beri,



beri, qui ex concupiscentia oriuntur, essent peccata, quia non minus concupiscentia est peccati originalis pœna, quàm ignorantia; sed falsum est, tales actus esse peccata: quia concupiscentia non consentientibus nocere non potest, ut expressè Frid. de pec. origin. can. 5.

9. An autem possit dari ignorantia invincibilis juris naturalis non est hujus loci solvere. Vide Contenson. Theolog. ment. & cord. lib. 6. dissert. 3. cap. 1. specul. 1. quer. 5. Du hamel Theol. moral. tom. 2. tract. de peccat. dissert. 1. cap. 4. Hoc unum observo, quod nullus tam rudis esse potest, qui non cognoscat mendacium, furtum, adulterium, &c. quæ erga alios meditatur, esse mala. Nam, si interrogaretur: an vellet per mendacium falli: an libenter ferret bona propria, vel uxorem ab alieno rapi: utique responderet illa mala se nolle pati: quis potest ignorare hoc generale principium, quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris.

10. PROP. 3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam.

De opinione probabili diximus plura lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 7. Sic contra propositionem, nota, quod dum aliqua opinio attingit ad gradum probabilissimam, jam talem certitudinem habet, quæ excludit omnem imprudentiam in operando, ergo licet quis juxta ipsam operatur. Tum quia, ut notavit Bonucci Vindiciæ ad prop. ab Alex. VIII. sect. 3. num. 22. opinio probabilissima idem est, ac communis, sed licet operari juxta opinionem communem, ergo & juxta probabilissimam.

11. PROP. 4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

12. Quæritur, an Christus mortuus sit pro omnibus hominibus?

Resp. Affirmativè, est de fide; habetur. 1. ad Timoth. 2. coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et vers. 6. dedit redemptionem semetipsum pro omnibus; & 1. Joann. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Pro omnibus itaque, tam parvulis, quàm adultis, tam fidelibus, quàm Infidelibus, Judæis, & Gentilibus, Christus mortuus est.

13. Nec obstat, quod Christus apud Matth. cap. 26. & Marc. cap. 14. dixerit: hic est sanguis, qui pro multis effundetur, & non dixerit pro omnibus; quæ particula multis non est prolata, in sensu exclusivo aliquorum, sed per eam vocem significatur tota multitudo humanum. Verùm licet Sanguis Christi sit effusus, quoad sufficientiam auxiliorum gratiæ pro omnibus hominibus, quoad efficaciam tamen non est sortitus fructum ab omnibus hominibus, unde dixit Trid. sess. 6. cap. 3. Et si ille pro omnibus mortuus sit, non omnes in vitam mortis ejus beneficium recipiunt; &c. Intelligè, quia nolunt. Vide alleg. conf. Innoc. X. in qua circumscribitur s. prop. Jansenii negantis, Christum esse pro omnibus mortuum.

14. PROP. 5. Pagani, Judæi, & Hæretici, alique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo infusum; adeoque hinc rectè inferes, nul-



lis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti?

15. Quæritur, an omnibus hominibus dentur auxilia sufficientia?

Resp. Affirmative. Idque probatur ex illo Joan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Paulus 2. ad Corinth. 5. dixit: *Et pro omnibus mortuus est Christus, ut, Et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit:* unde August. in psal. 18. ad illa verba: *non est, qui se abscondat à calore ejus,* dixit: *calorem Verbi Incarnati ad omnes penetrasse.* Et in 58. ait: *ille (Christus) sic voluit mori, ut sanguine suo effusores ejusdem Sanguinis redimeret.* Hinc fit, quòd cum Deus sincerè velit omnium salutem, ac omnes ad se vocet, atque illuminet, & Sacramenta pro omnibus Christus instituerit, nulla sit hominum conditio, sive parvulorum, & adultorum, sive fidelium, & Infidelium, sive Gentilium, & Atheatarum, qui influxum à Christo Jesu non accipiant, qui pro omnibus est mortuus, & pro omnibus meruit.

16. Prop. 6. *Gratia sufficientis statui nefronantam utilis, quam perniciofa est, ut proinde meriti possimus parere, à gratia sufficienti libera nos, dominò.*

17. Præter gratiam habitualem, quæ sanctificans dicitur, qua homo amicus Dei formaliter constituitur, cum peccato mortali incompossibilis, dantur contra Pelagium, etiam auxilia necessaria, ad bene supernaturaliter operandum, & resistendum tentationibus: quæ solent dici gratia actualis. Hæc dividitur in prævenientem, & subsequentem, in ex-

citantem, & adjuvantem, in operantem, & cooperantem, & in sufficientem, & efficacem.

18. Sed quæritur, quid sit gratia efficax, quidve sufficiens?

Resp. Efficax per Theologos, illa dicitur, quæ cum effectu, ad quem datur, semper conjungitur. Sufficiens verò illa, quæ cum effectu conjungi potest, seu, cum qua voluntas potest operari.

19. Sed adverte cum Macedo in 2. sentent. collat. 7. difficult. 3. sect. 9. §. Igitur hic duo, & Du-hamel Theol. tom. 1. dissert. 4. cap. 1. de grat. salvat. conc. 9. Quod gratia verè sufficiens non semper frustratur effectu: quia intelligi non potest, quomodo verè sufficiat, & numquam habeat effectum; nam si sufficit, & datur, ut sufficit, effectum habebit, si voluntas ea utatur pro eo, ad quod ipsa sufficit, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. *sufficit tibi gratia mea.*

Et hinc sequitur, quòd gratia sit habenda utilis, si ipsa utatur, quemadmodum potest; quod si ea non utatur, à non usu debet se liberare, respondendo gratiæ, ac majora, & efficaciora auxilia à Deo petere.

20. Duxit autem genus auxilii sufficientis distinguit Macedo cit. §. Igitur ex Suarez. Unum remotè, & Alterum proximè sufficiens; proximè sufficiens dicitur illud, cum quo homo potest immediatè aliquam operationem efficere, sine ope alterius operationis, qua impetret majus auxilium: remotè verò, cum homo habet auxilium, quod ad unum actum proximè sufficit, & ad alium remotè. Explicatur: Trid. sess. 6. c. 11. hæc habet: *Deus impossibilia non habet,*

(Kkk) 3

bet,



bet, sed iubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis; in his verbis: facere, ut possis: significat eum, cui aliquid iubetur, habere auxilium proximè sufficiens ad id faciendum; nam ab illo immediatè postulatur, ut faciat; in his verò, & petere, quod non possis, innuat auxilium remotè sufficiens; nam, qui nondum potest, nondum habet auxilium proximè sufficiens: si tamen orat, recipiet illud, ut his aliis, adjuvat, ut possis, innuit. Itaque auxilium remotè sufficiens ad victoriam v. g. tentationis, est proximè sufficiens ad alium actum v. g. orationis, qua majus auxilium impetratur, quod proximè sufficit ad tentationem vincendam; quare auxilium remotum respectu unius actus revocatur ad proximum respectu alterius. Legas August. lib. de bono viduitatis capit. 17. ubi dixit. *Ad hoc enim, quod non dum habemus, iubet, ut habeamus: ut admoncat, quid petamus.*

Quæ sufficere possunt ordinatio Confessori ad respondendum quibusdam, qui volunt plus sapere, quàm oportet.

21. Concludas contra Authores propositionis, ineptè dici liberum arbitrium homini non esse utile, & hominem rectè petere, à libero arbitrio libera me, Domine. Nam, quia homo potest, auxilio divinæ gratiæ adiutus, bene, & meritorie operari, liberum arbitrium est ipsi utile, etiam si illo non utatur, & aliquando abutatur: ergo, quia homo potest cum gratia sufficiente tentationi resistere, & præcepta implere, gratia sufficiens est ei utilis, quamvis aliquando ex sua malitia ipsa non utatur: bonus est cibus, & non

propterea inutilis homini reputatur, si vel ipse eo non utitur, vel excedendo abutitur.

22. Prop. 7. *Omnia humana actio de liberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.*

23. Contra propositionem est Trident. sess. 6. can. 7. ubi definit fidem, spem, timorem, quæ præcedunt justificationem, non esse peccata: sed actus boni sunt, elicit ex divina gratia, disponentes ad remissionem peccatorum, & gratiam justificationis; at non sunt charitas Patris: quia fides, & timor formaliter non sunt dilectio actualis, nec à charitate procedunt, quia ipse peccator ad charitatem Patris disponitur. Nec sunt concupiscentia carnis, aliàs ad justificationem non disponerent; ergo falsum est, omnem humanam operationem, quæ non est dilectio Dei, malam esse; & consequenter falsum, quod non possit elici opus bonum sine charitate, & gratia justificante.

24. Prop. 8. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Ergo peccabit, dum voluntariè correspondet inspirationibus, quibus ipsum Deus ad fidem vocat, & Catechismum quærit, ut de rebus Catholicæ fidei instruat, ac externæ Evangelii prædicationi attendit; sed falsum est in similibus ipsum peccare: nisi Authores propositionis, contra fidem blasphemantes, velint peccatum esse, correspondere divinæ gratiæ.

25. Prop. 9. *Reverà peccat qui odiosum peccatum, mere ob ejus turpitudinem,*



nem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum respectu.

Ex terminis apparet, illicitum non esse nolle mentiri, fornicari, &c. ex hoc motivo, quia hæc vitia sunt indigna creatura rationali; quinimodò juxta dictamen rationis, & legem naturalem operatur, qui non mentitur, nec fornicatur: ergo nec illicitum est. ex eo motivo mendacium, & fornicationem detestari: consequentia sequitur à non dabili disparitate.

26. Addo, quòd propositio se ipsam destruit; quia in odio peccati propter ejus turpitudinem, & disconvenientiam includitur, saltem implicite respectu ad Deum offensum; nam, ut diximus cap. 2. num. 7. peccatum, quod est contra legem naturalem, est etiam implicite contra legem æternam, & Deum; consequenter Dei offensa: ergo, qui detestatur peccatum, quia est contra rationem, & naturæ non consentaneum, implicite detestatur ipsum, aut est offensa Dei, ut discurtit Illung. Theol. Moral. tract. 6. disp. 6. à num. 29. vid. lib. 2. cap. 34. num. 4.

27. Prop. 10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum mere, ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens, vide ad 13.

28. Prop. 11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

Putant Authores propositionis, operationes, quæ procedunt à fidei sine charitate, esse peccata; sed vide dicta ad 7. & 8.

29. Tum quia, peccator fidelis non peccat, quando credit, bonum esse, &

utile ad consequendam veniam peccatorum, Deum orare, jejunare, &c. Et ad eum finem orat, & jejunat, &c. Sed tunc operatur secundum dictamen fidei, & non habet eharitatem, ergo falsum est, omnino id esse peccatum, quod non est ex fide supernaturali, quæ per dilectionem operatur.

30. Prop. 12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana?

Affertum errorem jam proseripserat Trid. sess. 6. can. 28. si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, &c. aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. Ergo licet habitus fidei supernaturalis amittatur per hæresim (quæ oppositionem habet cum fide) non perditur tamen per actum, v.g. furti, quo demeritorie amittitur charitas: quia furtum cum Charitate, & non cum fide oppositionem habet.

31. Prop. 13. Quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitatem si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet constanti operatur.

Hoc ipsum, ut hæreticum damnavit. Trid. sess. cit. can. 31. si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. Nam sine dubio licitum est operari propter id, quod Deus proponit, & promittit, sed Deus proponit, & promittit vitam æternam, præmium reddendum bene operantibus usque in finem, ex Trid. sess.



*sess. cit. cap. 16.* ergo propter ipsam obtinendam licet operari, & observare præcepta: ad quod facit illud *psal. 118. inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

32. Prop. 14. *Timor Gehennæ non est supernaturalis.*

Sed falsum est, non esse supernaturalem, si reguletur, & procedat ex fide divina: quæ est principium supernaturalitatis, quatenus nullus actus supernaturalis potest haberi, nisi ipsa objectum proponat; & propterea à Trid. *sess. 6. cap. 8.* dicitur humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. Advertas, ad quemlibet actum supernaturalem cum actu fidei requiri etiam auxilium divinæ gratiæ, vide *cit. capit. 34.*

33. *Quaritur, quotuplex sit timor?*

Resp. Quadruplex: *Mundanus, Servilis, Filialis, & Ininitialis: Mundanus est,* cum quis ad fugienda mala hujus mundi, mortem, paupertatem, &c. quæ timet sibi obventura, Deum offendit; times confitendo fidem Christi à Tyranno occidi, coram ipso eum negas; times infirmitatem, nisi te polluas, voluntariam molliem in te provocas: semper mortaliter peccas, & timor malus, & nefarius est; quia malum est timere, & fugere malum corporis cum detrimento animæ, & offensa Summi Dei; nam pejus est illam committere, quam pœnas quascumque pati: ideo *Matth. X. dicitur: nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum,*

*qui potest, & animam, & corpus perdere in Gehennam.*

Hujusmodi timor procedit ex inordinato amore rerum temporalium, & finitiam, quia inordinatè te amas, culpam non fugis, nec Deum times.

*Servilis est,* quo quis timens pœnam, cognitam per fidem ex divina revelatione, facta Ecclesiæ Catholicæ, imminere peccato, legem Dei observat, & ne in eam incidat, peccata vitat. Hujusmodi est omnino bonus; nam Deus minatur pœnas inferni peccantibus, ut eos à peccatis revocet, & moveat ad fugienda crimina, quod certè non faceret, nisi licitum esset eo motivo abstinere à peccatis, & de commissis dolere; ergo, qui peccata vitat timore pœnarum inferni, & de commissis dolet, honestè & bene operatur.

Verùm necesse est, ut excludat voluntatem peccandi: quam non excluderet, si dicerent: *doleo de peccatis, & ab ipso abstineo, quia timeo pœnas inferni, sed, si non esset infernus, non abstinerem.*

Dolorem ex eo timore conceptum, & ortum, vocat Trid. *sess. 14. cap. 4.* Donum Dei, ut sequitur: *illam vero contritionem, qua attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudine peccati consideratione, vel ex Gehennæ. & pœnarum metu communitè concipitur, si voluntatem peccandi excludat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum.*

*Filialis est,* quo quis omittit peccare, & bene operatur, non propter pœnam, sed, ne offendant Deum: hic optimus est, procedens ex amore Dei; quatenus,



tenus, quia Deum amas, refugis à malo culpæ, quod times, ne Deum offendas.

*Initalis* verò, est mixtus ex filiali, & servili: eo que quis fugit peccatum, & quia timet Deum offendere, & ab ipso separari, & quia timet penas Gehennæ: quarum timore sæpè pertrahuntur homines ad Dei dilectionem. Duo enim illi timores simul conjuncti, virtutem habent perducendi hominem ad Dei amorem, & conservandi in ipso charitatem, & perfectam subjectionem ad ipsum Deum. Vide *Trid. sess. 6. cap. 6.*

34. Prop. 34. *Attritio, quæ Gehennæ, & panarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Falitas deducitur ex dictis ad præcedentem, & ex *Trid. cit. sess. 14. cap. 4.* ubi, dolorem conceptum ex timore Gehennæ declarans esse impulsus *Spiritus Sancti, & donum Dei, disponens ad gratiam Dei*, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, non addit debet esse annexam cum amore benevolentia; ergo sine isto ea attritio est honesta, & utilis, ac supernaturalis, si à fide reguletur. Maxime, quia non dilectio, est principium supernaturalitatis, sed fides, ut supra ex *Trid. diximus, ipsum videas, sess. 6. cap. 6.* ubi permittitur actus fidei ceteris actibus, ad justificationem disponentibus; ergo dolor de peccatis ex timore Gehennæ est supernaturalis sine conjunctione cum dilectione Dei: modo ex fide, & divino auxilio procedat. Vide *lib. 2. cap. cit.*

35. Dices, dolens de peccatis ob timorem Gehennæ vult suum bonum: quia enim suam utilitatem amat, & non vult *Aduthancæ Cautela Confess.*

patri tam grande malum pœnæ, idè de peccatis dolet, & à peccatis abstinet; quod bonum esse non potest; nam videtur esse ita constitutus, ut, si fuga inferni posset dari sine fuga peccati, nec de peccatis doleret, nec ipsa recusaret.

Resp. Utiq; vult suum bonum, sed per mediam licitum, per fugam nimirum peccati, quæ est medium ad evitandas pœnas inferni; quemadmodum ejusdem commissio ad eas incurrendas. Et licet suum bonum velit, se tamen non statuit pro fine, cui ultimato principalitatis cum exclusionem Dei, quia tunc certè peccaret (nam Deus solus est ultimus noster finis) nec eo dolore à Deo avertitur, sed potius ad ipsum adducitur, quia dolet se Deum offendisse, ex quo timeat ab eo pœnis inferni puniri.

Equidem, si foret ita constitutus, ut peccare vellet, si non esset infernus, dolor talis malus, & vitiosus esset; sed negamus id inferri; nam tunc posset propter alia motiva dolere, & fugere peccata; vel quia peccatum repugnat rationi: vel quia est offensa Dei, Quis enim dixerit puerum, qui hic, & nunc præcisè propter ostensum pomum accedit ad Matrem, sine pomo vocatus, non accessurum?

36. Prop. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dicente.*

37. Hæc propositio ad valorem Sacramenti, & absolutionis à peccatis plus exigit, quàm Sacerdotem cum debita intentione, & legitima jurisdictione, proferentem formam absolutionis in pœnitent-

(LII)

niten-



nitentem, sua peccata cum vero dolore, & proposito integrè omnino confitentem; ut nimirum à Confessario prius imponatur, & à poenitente exequatur satisfactio: quod sanè evidenter inferitur ex propositione. Nam, si Christus instituit, ut absolutioni præmittatur satisfactio, ut proposito loquitur, sequitur necessariò, quòd absolutio valida non sit, nisi prius satisfactio sit imposta, atque adeò, quòd hæc sit pars essentialis Sacramenti Poenitentia, necessariò requisita ad valorem ipsius, & remissionem peccatorum, quoad culpam, & poenam aeternam, quæ sit per gratiam collatam à Sacramento; sed est falsum, impositionem, vel executionem satisfactionis esse partem essentialem Sacramenti, ut diximus *lib. 1. cap. 11.*

*num. 4.*

38. Essentia itaque Sacramenti poenitentia consistit in contritione, & confessione, tamquam materia proxima, & absolutione, tamquam forma: quia, istis positis, ponitur remissio peccatorum, & non positis, non ponitur. Integraliter verò dicit etiam impositionem, & executionem satisfactionis, non quidem necessaria ad remissionem culpæ, per gratiam Sacramentalem, sed tantum ad remissionem poenæ temporalis, quæ remanet, ex dictis loco citat. *num. 4.* Quemadmodum homo essentialiter consideratus dicit animam, & corpus, integraliter verò importat manum etiam, pedes, &c. Lege *Trid. sess. 14. cap. 3.*

39. Addo, quòd Sacramentum poenitentia est institutum ad formam iudicii, proferentis sententiam, sed hæc ab Iudice valide proferatur ante executionem poenæ decretæ, ergo & Sacerdos valide

absolvit ante executionem satisfactionis.

40. *Prop. 17. Per illam proximè absolvendi ordo poenitentia est inversus.*

Hæc etiam censet executionem satisfactionis per poenitentem, esse necessariam ad remissionem peccatorum, quoad culpam & poenam aeternam; & propterea requirit ante absolutionem esse de necessitate imponendam, & exequendam satisfactionem, adeò ut aliàs illa valida non sit, quamvis integrè confesso, cum sincero dolore, proposito, & ritè disposito conferatur. Quòd esse falsum est sensus omnium Theologorum, & Fidelium. Patet ex *Trid. sess. 6. cap. 6.* ubi agens de dispositionibus prærequiritis ad remissionem peccatorum in Sacramento, inter eas satisfactionem non accenset. Quam nec exigit *sess. 14. cap. 4.* Et *cap. 8.* declarans necessitatem imponendæ, & præstandæ satisfactionis, eam per modum dispositionis ad gratiam necessariam non statuit; ergo ante præstitam satisfactionem valide remittuntur peccata: ergo, cum cætera necessaria non desunt: & ex parte poenitentis est confessio materialiter, vel formaliter integra, sincerus peccatorum dolor, & firmum, ac efficax propositum non peccandi, inchoandi novam vitam, & satisfaciendi. & ex illa Sacerdotis, jurisdictione, cum intentione debita verba absolutionis proferentis, valida est absolutio.

41. *Prop. 18. Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti poenitentia, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas consuetudinis, non*



*hilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

Ad istam, sicut ad duas precedentes, Abusum vocat consuetudinem absolventi poenitentes, et si alius rite dispositos, priusquam poenitentiam impleant; quia putat peccata per absolutionem non remitti, nisi prius poenitens impostam poenitentiam expleat. Sed necesse est, ut ostendat, contra quam legem sit ea praxis, ut consuetudo, abusus, & corruptela possit nominari; cum solum illa consuetudo corruptela dicatur, quae est Sacris inimica Canonibus, cap. consuetudinem de consuetud. in 6. Nullam autem huiusmodi legera allegabit, cui repugnet, ergo, &c.

42. Prop. 19. *Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.*

Propositio enunciat efficaciam baptismi, per quem plenè, & integrè remittitur, tum peccatum originale, tum actualia, & personalia commissa ante baptismum, quia per Baptismum Christus fit novus homo in Christo Jesu, purus, innocuus, & innocens: in quo nihil Deus odit, quia nihil damnationis in eo remanet, aut aliquid, quod eum ab ingressu Caeli remoretur, ut loquitur. Trid. sess. 5. can. 5. in decret. de peccat. original. Sess. 4. cap. 2.

Peccatum, etiam remittitur omnis poena cap. per baptismum de consecrat. dist. 4. & expressè Florent. in decreto Eugenii. Propterea baptizatis, nulla pro peccatis praeiudicatis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Caelorum, & Dei visionem perveniunt. Trid. sess. 6. cap. 14. definit in Baptismo

coram poenam semper remitti. Ratio est, quia per baptismum sic nobis applicatur passio Christi, ac si cum Christo mortui fuissimus, & consepulti, ut DD. ponderant, ergo opera poenalia non sunt imponenda pro originali, & aliis actualibus in baptismo plenè remissis, quoad culpam, & omnem poenam.

44. Nec refert, quòd post baptismum non tollantur calamitates huius vitae, concupiscentia, mors, fames, sitis, morbi, & aliae poenaltates, quia istas ad pugnam, agonem, & meritum manere tradit Trid. sess. 7. cit. & DD. omnes. Unde praxis Ecclesiae est, baptizatis, etiam adultis, licet ante baptismum fuerint magni peccatores, nullam imponere pro originali, vel aliis actualibus per baptismum remissis, satisfactionem.

45. Sed quaeritur, an quando adultus baptizatur, debeat de peccatis dolere?

Resp. Affirmativè: dolere itaque debet de peccatis personalibus à se commissis: est communis sententia Theologorum, requirentium in baptizando adulto, si antea personaliter deliquit, dolorem de peccatis actualibus, tamquam dispositionem juxta Trid. sess. 6. cap. 6. adeo ut, si eam dispositionem omittat, ponat obicem ad gratiam, & remissionem, etiam originalis, (quia unum peccatum sine alio non remittitur) quamvis characterem recipiat, si cum animo recipiendi baptismum baptizetur.

Dixi, de peccatis personalibus; nam de originali nequit esse dolor contritionis, vel attritionis, & hoc est extra controversiam; quia originale, nec est materia poenitentiae, ut est Sacramentum, nec poenitentiae, ut est virtus, quia ori-



ginale non est propria voluntate commissum: ergo non potest propria voluntate retractari.

De actualibus dolor penitentia requiritur; sed sat est attritio; quia haec ad recipiendam gratiam in Sacramento disponit per Trident. *sess. 14. cap. 4.* sed non debet esse naturalis, habita ex viribus naturae, & ex motivo naturali, ex metu nimirum poenae temporalis, aut ex turpitudine peccati, lumine naturae cognita, sed supernaturalis exigitur, habita ex speciali auxilio Dei, & motivo supernaturali, per fidem supernaturalem cognita, & regulata. Vide De la Cruz de baptis. *qn. 4. dub. 3. & cit. lib. 2. cap. 34.*

46. Prop. 20. Confessiones apud Religiosos factae, pleraeque, vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

47. Prop. 21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua poenitentia, seu satisfactione ob questum, seu lucrum subsidii temporalis.

Neutra ex his propositionibus potest sustineri sine gravissimo peccato, iudicii temerarii in illo, qui attribuit hominibus piis, & sanctissimam grande scelus, & gravem culpam; semper enim est bene praesumendum de proximo, nisi oppositum constet.

48. Queritur, quid sit iudicium temerarium?

Resp. Est firma adhesio intellectus de delicto, & infamia proximi, ex levibus iudiciis, & frivolis coniecturis. Est peccatum contra iustitiam. Cuius malitiam in hoc consistit, quod, cum unus-

quisque habeat jus suae famae apud alios, usque dum hanc non amittit per publicum delictum, vel per graves, & rationabiles ejusdem coniecturas, temere iudicans ex levi fundamento, illum iniuste privat hoc jure respectu sui: & proinde injuriam facit.

49. Ex genere suo est mortale; & solum potest esse veniale ex parvitate, & levitate materiae, de qua quis iudicat: si gravis est materia, gravem injuriam proximo facit, male iudicando de ipso sine sufficienti fundamento: levem, si levis. Unde quis tenetur proximum compensare, tractando iudicium, & bonam illius famam denuo concipiendo.

50. Queritur, quid sit suspitio?

Resp. Est opinio de delicto proximi, ex levibus iudiciis cum formidine de ipso. Regulariter, & de se, est peccatum veniale, ex defectu nimirum indeliberationis voluntatis, & injuriae tantum levis, quae sit proximo, suspitatio cum dubio aliquod crimen de ipso. Sed est mortale, si vestiatur talibus circumstantiis, ut gravis injuria sit, etiam suspicari malum de aliquo; sic mortaliter peccat, qui de viro prudenti, pio, & venerabili ex levi fundamento grave delictum suspicatur.

51. Prop. 22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem per praedictam praetendunt, antequam de delictis suis poenitentiam egerint.

Authores propositionis id asserunt, quia putant sine satisfactione praesentis, non idem esse poenitentibus, est iuste, & cum serio dolore, & humo proposito confessis, remissa peccata, licet prius Confessarius legitimus formam absolu-



uentis pronunciauerit. Nam, si sacrilegè communicant, idè est, quia communicant cum conscientia peccati mortalis: & idè cum ista conscientia communicant, quia quamvis absoluti, & ritè confessi, eis remissa non sunt peccata, ex quo absolutioni non præmiserint executionem satisfactionis: Ergo satisfactio præstita est pars essentialis Sacramenti, sine qua remissio peccatorum non contingit. Sed fallum est satisfactionem esse partem essentialem Sacramenti penitentiae, ut supra diximus num. 37. & alienum est à verbo Dei, ac Patrum sensu, culpam non remitti, quin poena omnis semper per Sacramentum penitentiae condonetur. Legas Trid. sess. 14. de penitent. ubi contra Haereticos, Lutheranos, & Calvinistas, asserentes culpam dimitti non posse, quin poena omnis condonetur, canon. 12. edidit, si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo, &c. anathematis.

52. Prop. 23. Similiter ardens sunt à Communione, quibus nondum uest amax purissimus, & omnis mixtionis ex-pers.

In propositione supponitur non posse hominem disponi ad gratiam sanctificantem, recipiendam in Sacramento penitentiae, per dolorem de peccatis, conceptum ob timorem amissionis beatitudinis, vel poenarum inferni, quasi Deus per huiusmodi dolorem grauitè offendatur, & magis peccator per eum homo constituatur; prout non est veritas Lutherus blasphemare, contra quem est Trid. sess. 14. cap. 4. & can. 5.

53. Deinde idè Trid. sess. 13. cap. 7. agens de preparatione adhibenda, ut di-

gnè quis sacram Eucharistiam percipiat, hæc habet: Quare communicare volenti, reuocandum est in memoriam eius (scilicet Domini) præceptum; probet se ipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præuia Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Ergo, qui ritè confessus est, & valide absolutus, communicat cum præparatione necessaria, ut non recipiat indignè Corpus Christi, quamvis ad Sacramentum penitentiae accesserit cum solo attritionis dolore, quem Trid. sess. 14. c. 4. statuit disponere ad Dei gratiam recipiendam in Sacramento.

54. Prop. 24. oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis, sua per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficiens testatur, quod indignerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris, maculatus esset, secundum verba legis.

55. Hereticum est dicere B. V. Mariam indignè purificatione; nam hoc est negare ipsius virginitatem, & dicere eam impuritate, immunditia, & fractiōne claustræ Virginalis perperisse Christum Dominum, sicut cæteræ mulieres prostratos filios pariunt. Lex illa Leviticæ 12. Virginem Mariam non comprehendebat: Nam ibi textus loquitur de muliere, quæ suscepto semine, peperit masculinum. Maria autem, nec semine viri concepit, nec viri opera genuit, ut fides docet, per illud Symboli, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus de Maria Virgine.



ne, ergo B. Virgo non eguit purificatione. Quæ sine forde Filium peperit sanctissimè, & purissimè: & in cuius partu nihil est purgandum, nihil impurum, cum Proles sit fons puritatis, & ipsa mundissima.

56. Nec id est inferendum, ex quo se legi purificationis subdere voluerit; aliàs ex Circumcisione Christi deberet inferri in ipso macula peccati originalis: & ex tributo, subjectio Christi ad Casarem colligeretur. Quæ omnia hæresim manifestam continent, & errorem omnium maximum.

57. Causas, propter quas B. Virgo voluit legem purificationis observare, varias adducunt Authores, videndas apud Marchant. *rationalis Evangelic. seu conciones tr. 4. de fest. Purif. B. M. V.* Quarum una fuit, quia voluit tollere omnem occasionem scandali, vel murmuris: Notum enim non erat, eam sine impuritate, & Virginem, ante partum, in partu, & post partum peperisse.

58. Prop. 25. *Dei Patris sedentis simulacrum, nefas est Christiano, in templo collocare.*

Hæc propositio renovans errorem, & hæresim Iconomachorum, & Sacrarum Imaginum inimica. Quarum usum semper Ecclesia Catholica retinuit: & licitus, utilisque fuit apud Christianos fideles. Ex quo pingantur Deus Pater, Christus, & Sancti, ac fidelibus proponantur, nil mali oritur, sed multum boni, cum conducant ad renovandam memoriam Dei, Christi, & Sanctorum, & excitanda in fidelibus vel receptorum beneficiorum memoriam, vel devotionis affectum, aut propositum sequendi Sanctorum vestigia, & exem-

pla. Propter eadè Trid. sess. 25. in decr. de invoc. Sancti. dixit. *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiondas, non quòd credatur inesse aliqua in vicinitas, vel virtus, propter quam sit colenda; vel, quòd ab eis sit aliqua petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, velus olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed, quia honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa representant: Itaut per Imagines, quæ osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoramus, & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur. Ill quod Conciliorum, præsertim vero secunda Nicæna Synodi, decretis, contra Imaginum oppugnatores est sancitum.*

59. Ex quibus patet, Imagines sacras adorandas esse adoratione relativa, in ut honor ille non sistat in Imaginibus, sed referatur ad exemplar, quod representant; de quo redibit sermo ad propositionem sequentem.

60. Queritur, an negans licitum esse Sacrarum Imaginum usum, & asserens eas adorandas non esse, sit hæreticus?

Resp. Affirmative. Est Es deff. citum Conc. Nicæno 2. & Trid. in decr. 21. cit.

61. Prop. 26. *Laus, qua defertur Mariæ, vana est.*

De fide est, Beatissimam Virginem, & alios Sanctos esse adorandos, & colendos, quos etiam non vanè, sed utiliter invocamus. Hoc perpetua Ecclesie traditio, hoc Concilia, & SS. PP. declarant, & ex-



presb. confirmat Trid. sess. 25. in cit. Decretis: Ubi: Sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonam, atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo, per Filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxilium confugere.

62. Queritur, quid sit adoratio?

Resp. Est voluntaria submissio qua alteri nos subicimus propter excellentiam, & dignitatem in ipso præcognitam; sed est exhibitio reverentia, qua alium reveremur, ipsi nos submitendo, tamquam Superiori, in recognitionem suæ excellentiæ.

63. Queritur, quotuplex sit adorationis species?

Resp. Multiplex. 1. Alia est interior, exterior altera; Interior, est cordis, ac mentis humilis, & sincera submissio, propter excellentiam in adorato; Exterior, est externa reverentia alteri exhibita, ut genuflexione, inclinatione, & aperitione capitis, tunctione pectoris, junctione manuum, &c. manifestans adorationem internam.

64. Alia est absoluta, alia respectiva, Absoluta est, qua adoratur res propter excellentiam propriam, quam habet. Respectiva verò, qua adoratur res propter excellentiam alterius, quem representat, vel ad quem respectum habet, conjunctionem, & habitudinem. Hujus generis ex Trid. ubi supra, est adoratio, qua exhibetur Sacris Imaginibus.

65. Alia est Latria, Dulia, & Hyperdulia; Latria, est cultus, qui Deo exhibe-

tur, ob infinitam ipsius excellentiam Dulia, est cultus, & reverentia, qui Sanctis exhibetur ob excellentiam sanctitatis, quam habent. Hyperdulia tandem, cultus, qui exhibetur B.V. M. ob particularem excellentiam, quam habet præ ceteris Sanctis propter dignitatem Maternitatis Filii Dei.

67. Hinc negare Mariæ, ut Mariæ, cultum, & dicere reverentiam non esse exhibendam, est impio, & nefario dogmate asserere B.V. non esse Dei Matrem, propter quod Nestorius damnatur in Conc. Ephel.

68. Queritur, an blasphemia in Deum, Sanctos, & Virginem distinguantur specie, adeo ut in Confessione explicandum sit, contra quos fuerit blasphemia pronunciata?

Resp. Affirmativè, juxta dicta l. 1. c. 18. n. 28. Nam licet adoratio sit actus Religionis, tamen Latria, Dulia, & Hyperdulia sub illo genere specie distinguuntur.

69. Queritur, an etiam Sanctorum Reliquiæ sint adorandæ?

Resp. Affirmativè. Desinitur in Trid. cit. decret. ubi: Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sanctæ corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus Sancti, ab ipso, ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse: Per quæ multa beneficia à DEO hominibus præstantur: Ita ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliisque Sacra Monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrande causa Sanctorum memorias frustra frequen-



earum omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

70. Sed queritur, an, ut licite publico cultu adorentur Sacra Reliquia, debeant esse Sancti Canonizati, aut beatificati?

Resp. Affirmative; nullus enim potest, ut Sanctus, publico cultu adorari, erectione Altaris, celebratione Missae, Thurificatione, appensione tabellarum, lampadarum, & careorum accensione, &c. nisi sit à Papa canonizatus, vel beatificatus, cap. *Audivimus de Reliq. & venerat. Sancti.* & Const. *Celestis Hierusalem ab Urb. VIII.* edita 5. Julii 1634. apud Mattea de Canoniz. Sancti. p. 5. e. 2. num. 12.

71. Notat Durandus de ritib. Eccles. lib. 1. cap. 1. num. 12. Rescens D. August. lib. 8. de Civit. Dei cap. 27. & lib. 20. contra Faustum cap. 21. Templum, etiam in honorem, & memoriam Sanctorum, soli Deo verè, & proprie erigi, & dicari. Quae quatenus ad sacrificandum DEO eriguntur, *Templa solent dici: Oratoria*, in quantum ad orandum sunt destinata: *Martyria*, seu *Memoriae*, vel *Basilicae* appellantur, quod Martyrum Reliquiis conservandis inserviant: & tandem *Ecclesia* nominantur, quatenus eo convenit populus verbo Dei, & Sacramentis pascendus.

Altaria item ad sacrificandum DEO consecrantur, ut innuit ibidem cap. 15. num. 4. & 5.

72. Sed queritur, an Sanctis Sacrificium Missae offeratur?

Resp. Habes ex Trid. sess. 22. cap. 3. de sacrific. ut infra: & quavis in honorem,

& memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare constituerit: Non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed soli Deo, qui illos canonavit, unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium, Petre, vel Pauli, sed Deo de illorum victoris gratias agens, eorum Patrocinia implorat.

73. Queritur, an Papa licite adoratur genuflexione, & pedum osculo?

Resp. Affirmative. Nam est Caput Ecclesiae, Petri Successor, Christi Vicarius, Summus Magister, & Optimus Legislator: Ergo propter istam, adeo Excellentem Ecclesiasticam Dignitatem, Sacram, & Spiritualem: Majorum quilibet alia humana, & terrestri, licet Catholici ipsi se submittant, & reverentiam illis signis exhibent. Quae nominati sunt est Dulcia spiritualis.

74. Sed quid, agendum Confessario cum poenitente negante Papam licite adorari.

Resp. Insuper, an credat Papam esse Christi Vicarium, Petri Successorem, & Caput Ecclesiae; & quatenus teneat non esse, non potest eum absolvi juxta dicta lib. 1. cap. 3. num. 7. quia est Haeeticus formaliter. Nam est de hinc Papam esse Christi Vicarium, Petri Successorem, & Caput Ecclesiae. Si vero istud credit: Vel acquiescit Confessario non esse, vel non: Si non, dimittendus est, ut potest dispositus; Si acquiescit, & se corrigat: Videat, an aliàs promiserit, vel alios imper tali errore deceperit: & cum sic perierit, necesse est, ut se retractet, & expeniat per aliquot dies.

74. Prop. 27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus. In nomine



ne Patris, &c. pratermissis illis, ego te baptizo.

Forma Baptismi in Ecclesia Latina est, *egote baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen:* Ex Florent. in Decret. Eugenii, & Trid. sess. 7. can. 4. In qua exprimuntur, actio baptizandi, baptizans, baptizatus, & Personæ Sanctissimæ Trinitatis. In Baptismo duplex intervenit causa: Una principalis, ex qua baptisus virtutem habet: Quæ est Sanctissima Trinitas; & alia instrumentalis: & hæc est Minister baptizans: Ut *ibid.* dixit Eugenius; & ideo utraque exprimi debet. Hinc fit, quod proferens ista ablucendo puerum: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* si non dixerit: *Ego te baptizo,* nil efficit; casus expressus *c. si quis puerum de Baptismo.*

75. Sed queritur, an valide baptizet, qui omittet ego?

Resp. Affirmative; quia *ly ego* non est de necessitate Sacramenti; & per verbum *baptizo* implicite exprimitur Minister. Unde ex Florentino *cir.* Valide baptizant Græci dicendo: *Baptizetur tibi Servus Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Peccaret tamen mortaliter, si cum advertentia illud omittet. Quemadmodum non baptizatur, si Personam Ministri excluderet dicendo: *Baptizet te Christus, non ego, in nomine Patris, &c.* Nec litaret *ly te;* nam Florent. in utraque forma, & pro Latinis, & Græcis, Personam baptizatam nominat. Lege De la Cruz de Baptis. *dub.* 3. & Gobat. *experient. Theolog. tract.* 2. num. 69.

76. Queritur, an valeat Baptismus *Matthæi & Caucela Confess.*

collatus in nomine Sanctissimæ Trinitatis?

Resp. Negative, sed est necessaria explicita expressio, & invocatio personarum *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Marchant, *Hortus Pastor. de Baptismo.*

77. Queritur, an valide baptizet, qui utitur hac forma, *ego te baptizo in nomine Christi?*

Resp. Negative, propter eandem rationem.

Si dicatur, Apostolos hanc formam servasse, juxta illud *Actorum 2. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. Et cap. 10. Jussit eos Petrus Baptizare in nomine Domini Jesu.*

Resp. Formam tunc per Apostolos adhibitam, fuisse: *Ego te baptizo in nomine, Patris, & Jesu Christi ejus Filii, & Spiritus Sancti;* sic enim exprimebantur tres ipsæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis: & Unitas ipsarum in *ly in nomine:* & Christus invocabatur. *Clericat. dec. Cleri Patavin. de Anno 1688. quest.* 2. in Martio.

78. Queritur, an valide baptizet, qui mente profert formam baptismi?

Resp. Negative. Habetur ex Florent. in Decret. *cir.* ubi deciditur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur: Videlicet, rebus, tamquam materia; verbis, tamquam forma; & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum, si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.*

79. Queritur, quam sit materia Sacramenti Baptismi?

Resp. Duplex est materia: Proxima, & remota.

(M m m m)

remo-



remota: Proxima est ablutio Hominis, per quam materia remota applicatur: Aqua nimirum naturalis, seu elementaris, tam calida, quam frigida, Fluminis, Maris, Fontis, Pluvialis, Paludis, resoluta ex nive, glacie, gelu, seu grandine: In casu necessitatis etiam non benedicta; sed extra illum est adhibenda benedicta in die Sabbati Sancti, juxta ritum Missalis Romani.

Nota, quod cum habetur materia certa, nunquam est utendum materia dubia, juxta dicta *lib. 2. cap. 1.* sed vide Gobat *cit. num. 8.* Ilfung. *Theol. moral. tr. 6. disp. 2. art. 3.* & Clericatum ad *dec. de Anno 1687. in M. r. quest. 1.*

80. Queritur, *quoniam sit Minister Sacramenti Baptismi?*

Resp. Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier: Immo etiam Paganus, & Hæreticus, baptizare potest: Dummodo formam servet Ecclesiæ; & facere intendat, quod facit Ecclesia. Florent. *in alleg. Decret.* Hoc idem legitur *cap. Diaconos dist. 93. & cap. constat. dist. 4. de consecrat.* ubi deciditur, baptismum à sanctis Sacerdotibus esse tractandum, nec Diaconis esse licitum baptizare, extra casum necessitatis, absque Episcopi, vel Presbyteri (Parochi nimirum) licentia.

Notandum tamen est: Ex Du-hamel *tom. 3. Theol. Cleric. dissert. 2. de baptis. cap. 1.* quod licet, cum urget necessitas, possit quilibet baptizare, est tamen servandus ordo. Sacerdos (cui ex v. ordinationis convenit baptizare) est omnibus præferendus: Diaconus Subdiacono:

Clericus Laico: Catholicus Hæretico: vir Mulieri. Et esse gravem culpam, excludere habentes Ordines Sacros: Venilem verò, habentes ordines Minores dixit Mastrius *disp. 17. num. 33.* & Laym. *lib. 5. tr. 2. cap. 7. n. 3. & 4.*

81. Queritur: Parochus existens in mortali, Laicum Sacramentaliter absolvit, eique Eucharistiam ministrat, Missam celebrat, & puerum baptizat, peccatur, quot peccata committit?

Resp. Quinque. I. In absolvendo, quia debet esse in gratia, ut licite admittat Sacramenta. II. In communicando, quia est probabilior opinio, juxta dicenda *lib. sequen. de Eucharistia*, quod Sacerdos in mortali existens, communicans Laicum peccet mortaliter; nam in eum finem gratiam ordinationis accepit, ut ex officio sanctè Sacramenta ministrat, & reverentiam erga Sanctissimam Eucharistiam vitet. *Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 7.* Marchant *Hort. Past. de Eucharist. resolut. pastoral. cap. 3. quer. 2. III. Missam celebrando, dum consecrat. IV. Dum se ipsum communicat. Tambat. Method. Confess. cap. 1. §. 7. num. 57. V. Baptizando puerum.*

82. Sed difficultas est, si Sacerdos peccat communicando Laicum, ergo, dum duos communicat, duorum peccatorum reus erit: & si decem, decies. Dicitur graviter offenderet: & sic de cæteris; quoniam minus durum, & rigorosum videtur?

Resp. Marchant. *cit.* refert, aliquorum sententiam esse, toties peccare, quoties ministrat, quia tot sunt actus ministrandi; sicut toties peccat, quot personas absolvit. Sed ipse putat, moraliter loquendo, unum esse peccatum, quamvis plur-



pluribus ministrat, quia moraliter censetur una distributio, pluribus, facta, accedentibus ad idem Convivium: Quia eis hic, & nunc accedentibus, Sacramentum ministrat; sicut tradit, unum peccatum à Sacerdote committi, si in peccato decem Hostias consecret, vel consecratas in peccato sumat. Non negat tamen peccatum aggravari, dum multis simul ministrat: Ac pluries peccare, si ob interruptionem administratio, etiam moraliter, discontinuetur. Quod tenendum censeo.

Diferimen ponit inter absolventem, & Communionem ministrantem: Quia toties variatur iudicium, & novum conficitur Sacramentum, quoties poenitentes absolventur: & ideo hic toties peccat, quoties, & quot absolvit, ut alibi diximus.

Circa Paternos, Amittendos in baptifmate solemni. Vide Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. Matrimon. & lib. 4. cap. 2.

83. Quæritur, *Maritus, & Uxor tenent in Baptismo infantem Prædicti, petitur, an priventur jure petendi debitum?*

Resp. Negativè, quia inter ipsos susceptor nullam contrahitur cognatio Spiritus, ex Trid. loc. cit. Verùm, Parochi non debent esse faciles in admitteñdis Marito, & Uxore pro Patris in eodem baptifmate ob reverentiam Sacramenti, consideratam cap. quod autem 30. qu. 4.

84. Prop. 28. Valet baptifmus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus autem in corde suo apud se resolvit, non intendendo facere, quod facit Ecclesia.

Forma baptifmi indifferens est, ut assumatur ad baptizandum ad ludum, jo-

cum &c. ergo debet determinari ad baptizandum verè per intentionem Ministri: Qui certè intentionem baptizandi non habet, dum contrarium intendit.

In Ministris itaque, qui Sacramenta conficiunt, necessaria est intentio, saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Est res definita in Florent. in decret. Eugen. & Trid. sess. 7. can. 11. de Sacram. in gen. Nam non censetur esse Christi, & Ecclesie Minister, qui non vult facere, nec intendit, quod Christus instituit, & Ecclesia observat.

85. Sed difficultas est, *quanam sit intentio Ecclesie, seu quodnam sit objectum intentionis Ecclesie in actu conferendi Sacramenta?*

Resp. Est facere id, quod, & sicut Christus Dominus instituit. Quare intentio conficiendi Sacramentum est voluntas, qua quis vult facere, quod Christus instituit; quam voluntatem censetur implicitè habere, qui baptizando vult facere, quod facit Ecclesia.

86. Sed quæritur, *Turca videns Sacerdotem Catholicum baptizare; qui veram intentionem baptizandi habet, eadem verba, abluendo filium, profert, intendendo, & volendo facere, quod ipse Sacerdos agit, petitur, an validè baptizet?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia Sacerdos ille baptizando facit, quod facit Ecclesia, ergo Turca intendendo per baptismum facere, quod facit Sacerdos, implicitè intendit facere, quod facit Ecclesia. Gobat, & Poncius. Et ibi Gobat observat eum, censeri velle baptizare, ut baptizat Ecclesia, si verba proferat, & abluat eoritu, quo Ecclesia utitur, vel quo utuntur

(M m m m) 2 Sacer-



Sacerdotes, dum baptizant. Lege Trid. sess. 7. canon. 4. de baptis. definiens Baptisimum, qui datur ab Hereticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, esse verum baptismum. Unde Sacra Congregatio Concilii decrevit baptizatos à Calvinistis, esse verè baptizatos, ita ut non sint denuò baptizandi, etiam sub conditione, si non sint baptizati, apud Fagnan. in 1. Decretal. ad cap. quoniam de const. num. 24. Nam supponitur, Calvinistas habere intentionem faciendi per baptismum, quod Christi instituit, vel quod Christi Ecclesia facit.

87. Sed quaeritur, an intentio debeat esse actualis, an virtualis, vel habitualis?

Resp. Sed priùs pondera, intentionem esse actum voluntatis, qua te determinas ad aliquod faciendum, v. gr. volo baptizare, celebrare, Confessiones audire, &c. Hujus species sunt, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis est, qua quis actu vult facere aliquid, elicitio voluntatis actu, tendente in illud; ut, volo baptizare, recitare Officium, &c. Virtualis est, qua actu secundum se non existit, quando conficitur Sacramentum, sed existit in effectu aliquo, ab illa immediate, vel mediate proveniente, dum actualiter existit. V. gr. vocaris ad baptizandum puerum: Ad eum finem, ad Ecclesiam vadis, sumis Rituale: Aperis Fontem, &c. Dum verba profers, & abluis propter mentis distractionem, non cogitas de baptismo: Diceris baptizare eum intentione virtuali: Quatenus iter ad Ecclesiam assumptum, aperitio fontis,

orationum lectio, & similia, sunt effectus intentionis actualis praeterita: & sic baptismus vtiliter confertur.

Habitualis refertur, non ex praecedenti actu voluntatis aliquid agendi, sed ex frequentatis actibus, ex quibus habitus agendi acquiritur: Qui etiam in dormitionibus, & ebriis manet.

Ad dubium itaque. Actualis optima est, & consulenda: Sed non est necessarium, ut semper in se duret, quia id propter evagationem mentis est moraliter impossibile. Virtualis sufficit: Et habitualis est inepta; quia habitus ille non influit in velle actionem illam; ut comitatur in operantibus ex habitu, & causa, non praemissa vtilitione operandi.

Virtualis itaque sufficit; aliàs esset moraliter impossibile conficere Sacramenta, quoties conficiuntur. Nam impossibile moraliter est, quòd semper habeatur intentio actualis, in quo DD. conveniunt: ponderantes ad intentionem virtuales requiri, ut actualis praecedat, & non fuerit retractata, vel moraliter interrupta, per exercitium negotii impertinentis, & non ad breve tempus. Habes in Cella intentionem celebrandi: Statim discedis ex Conventu ad litigium absolvendam, commendos libros, invitandum amicum, &c. redis, & celebras, non remansit intentionem: Non diceris celebrare ea vi intentionis praeterita, virtualiter durantis.

88. Ad tollendos scrupulos considero, quòd intentio actualis, alia est directa (qua ab aliquibus vocatur non cognita) & alia reflexa (qua ab eisdem cognita dicitur) Directa est, qua quis advertens, & volens, aliquid operatur, sed per alium actum reflexum non advertens.



se advertere, & habere talem volitionem. Reflexa est, qua quis advertens, & volens, aliquid operatur, & per alium actum reflectit, & cognoscit, se advertere, & velle, quod agit. Multi existimant se intentionem actualem non habuisse, quia non habuerunt actualem reflexionem, cognoscendo se velle, quod operantur: sed non recte. Nam licet, propter distractionem intellectus non advertant ad id, quod operantur, non sequitur, ut notat Poncius, & Felix tom. 2. *examen ordinanum*. 2. 13. quin actu velint operari, & operentur, quia volunt. Exemplum est; intendo celebrare, propterea vado ad Sacrificium, vestes assumo, lego Missam, verba consecrationis profero; sed propter distractionem non adverto ad id, quod lego, quod operor. Fortè non habeo volitiones actuales, quae imperent illas actiones? De necessitate debeo eas habere; alias illae actiones non possent continuari. Nam prima volitio nequit esse causa sequentium actionum: quia iam desit. Quare, vestes sumo, quia volo; lego, quia volo: profero, quia volo; quamvis non advertam me velle, me legere, &c. Sed pondera, quod ista intentio actualis directa, non cognita, non sufficit, nisi praecesserit intentio actualis cognita, ad quam aliae volitiones non cognita sequantur.

89. Prop. 29. *Futilis, & vana convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate; atque in fidei questionibus infallibilitate.*

Per Concilium Oecumenicum DD. intelligunt Concilium Generale, seu Universale, auctoritate Romani Pontificis

congregatum. Cui ipse, vel per se immediatè, vel per suos Legatos praesidet: & ad quod possunt, & debent convenire omnes Episcopi totius Orbis, nisi legitime impediuntur. Huiusmodi Concilia non esse supra Papam, sed Papam supra ipsa, & independentem ab eis, esse in definiendis fidei, & morum questionibus infallibilem, est constans omnium Theologorum, & Canonistarum sensus; propter manifesta testimonia Scripturae, Pontificum Decreta, & Conciliorum Definitiones, ad evidentiam, Romani Pontificis potestatem, auctoritatemque supra omne Generale, & Universale Concilium ostendentia; ex quibus aliqua meo Confessori propono.

90. Primatus Papae supra Concilium Generale probatur. I. Matth. 16. ubi Christus in praesentia aliorum Discipulorum, soli Petro, Vicariam, supremam, absolutam, & universalem potestatem supra universam Ecclesiam promittit, dicens: *Et ego dico tibi (non vobis, non vestro Collegio, sive Concilio) quia tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: & porta inferi non prevalebunt adversus eam; & tibi (non vobis, non Concilio) dabo claves (quae supremam potestatem denotant,) Regni Caelorum, & quodcumque ligaveris, &c.*

91. Implevit autem promissa, cum post Resurrectionem eidem Petro dicit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* Joan. 21. hoc est, Ecclesiam meam; ut bene explicavit ipsa Ecclesia, à Spiritu Sancto illuminata, dum in Oratione pro Pontifice Romano ait. *Deus omnipotens fidelium Pastor, & Rector, qui famulus* (Mmm) 3 luna



*Inimicum N. Ecclesia tue preesse voluisti, &c.* Et proinde idem est dicere: *Pasce oves meas, ac pasce Ecclesiam meam;* quibus propterea verbis eum Papam, & Vicarium suum creavit, ut teste Fagnano in 1. *Decretal. ad capit. significasti de elect. DD.* ponderant.

92. Accedit. Pro Pontificis Romani auctoritate, Pius II. *constit. In minoribus la 10. Bullar. 10. 1.* retractans, quæ ipse, cum esset junior, in oppositum scripserat, habet: *hac nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus: cui & congregare generalia Concilia, & dissolvere datum est: & infra: inter quæ nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod, stante Romano indubitato Prasule, absque ipsius auctoritate convenerit: quia non est corpus Ecclesia sine Capite: & omnis œc capite destitit in membra potestas.*

93. Confirmat Florentinum in literis anion. *Item diffinimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum Orbem tenere primatum: & ipsum Pontificem Romanum, Successorem esse B. Petri, Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere: & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo, plenam potestatem iraditam esse.*

94. Respondent, ex adductis solum probari Romanum Pontificem esse, & potestatem habere supra singulos fideles, & super singulas Ecclesias particulares, ipsarumque Prælatos, ita ut nullus sit fidelis, nulla excipiat Ecclesia,

& Prælatos, qui à Romani Pontificis potestate, & jurisdictione eximatur: non verò probari Romanum Pontificem esse supra universalem Ecclesiam, in unum congregatam: exemplum adducunt de Duce Veneto, qui potestatem habet, & jurisdictionem supra singulos Venetos Cives, sed non supra totum Senatuum collectivè sumptum. Ratio est, quia à divinis ad collecta non tenet illatio.

95. Verum inutilis, levis, & nullius momenti est objectio: ad evidentiam non semel depulsa, & rejecta. Est Pontifex Romanus ex Florent. totius Ecclesie Caput, & omnium Christianorum Pater, & Doctor, ergo & Concilii; nisi Authores propositionis sentiant Concilium esse extra Ecclesiam, & PP. in Concilio congregatos desinere esse Christianos, ad Gregem, & Christi oves pertinere; quod non sine manifesto errore assererent: ergo est veritas omnino infallibilis, Papam esse supra omne Concilium Generale: prout reprobato errore Basiliensium, asserentium Concilii auctoritatem esse supra Papam, dixit Concilium Lateranense 5. sub Leone X. ut infra: *solum Romanum Pontificem super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere: ne dum ex Sacra Scriptura testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria eorundem Confessione manifestè constat.*

96. Accedit auctoritas Conc. Constantien. In quo. *sess. 8.* sic Hæreticus damnatur Joann. Wicleff. ex quo inter alia dixerit: *Papa non est immediatus Vi-*



vicarius Christi: sed id sequitur, si non Papa supra Concilium, sed Concilium in Papam auctoritatem habet; nam tunc Concilium immediatus Vicarius foret, & Papa mediatus; ergo, ne innovetur proscripta heresis, firmissimè fatendum est, Papam esse supra omne Concilium, & Caput Ecclesie, quod negabat Joan. Huz: cujus errores fuerunt in eodem Concilio sess. 14. proscripti.

97. Ex quibus patet, exemplum adductum de Duce, nil concludere; nam manifestum discrimen est inter eum, & Pontificem: etenim Dux Venetus potestatem accipit à Republica cum limitatione, ut non extendatur ad Senatum, simul collectum, sed solum ad singulos Cives divisim, Pontifex autem Romanus jurisdictionem non accipit ab Ecclesia, sed illam unicè habet à Christo, ex supra allegatis: sed Christus ei potestatem concessit supra Ecclesiam universalem, cujus est caput; juxta *const. Conc. Lugdunen. sub Gregor. X. relatam in cap. ubi periculum de elect. in 6. ubi §. Caterum: Romanus Pontifex dicitur, Doctor universalis Ecclesie, & Gregis Dominici director*; ergo est supra Concilium Generale; quod est repræsentativè Ecclesia universalis, cujus Papa est Director, & Caput.

98. Et hinc constat in nostro casu valere argumentum à divisim ad simul collecta; nam hujusmodi arguendi modus tunc tenet, quando eadem omninò ratio est in divisim, & in simul collectis: ubi enim eadem est ratio, eadem debet dari juris dispositio. Exemplum satis aptum, ad id probandum sunt creaturæ, quarum quælibet subjicitur Deo, quia ab ipso

dependet: ergo & omnium creaturarum collectio Deo subjicitur: quia creaturæ, etiam simul collectæ, sunt à Deo dependentes: ergo & Pontifici Romano subjiciuntur, non modo singuli fideles divisim, sed etiam omnes simul collectivè: quia tam singuli, quàm omnes collectivè, sunt oves Christi: quarum cura à Christo Romano Pontifici commissa fuit; ergo & omne Concilium Generale, quod non potest sine auctoritate Papæ legitimè congregari, & post congregationem continuari, ut expressè *text. in cap. Multis dist. 17. ubi: Multis denuò Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instrumur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari; quapropter, ut jam dictum est, rectè, non Concilium, sed vestrum conventiculum, vel conciliabulum cassatur, & quidquid in contractum est, irritum habetur, & vacuum.*

99. Addo, Patres in Conciliis congregati consueverunt petere, & obtinere Concilii confirmationem à Summo Pontifice, prout, aliis omisissis, fecit Trid. videndum in fine *sess. 25.*

100. Agunt de Prærogativa Pontificis supra Concilium, ejusque infallibilitate, independente à Concilio Fagnan. in 1. *Decretal ad alleg. cap. significasti, & ad cap. Antigonus de pactis num. 5. ibidem. Bail. sum. Concilior. tom. 1. Concil. Basilien. §. de auctoritate Concil. & Papa. Leytan. Clypens dignit. Pontif. discept. 1. sess. 1. Du-hamel Theol. Cleric. tom. 5. lib. 2. de Concil. dissert. 1. cap. 3. Guarnieri de Eccles. militan. lib. 2. cap. 26. & apud istos alii.*

101. Prop. 30. Ubi, quis invenerit doctrinam



doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

Soli Summo Pontifici est à Christo data intallibilitas in definiendis, & decidendis quaestionibus fidei, & morum: ut aliis omissis, concludit illud Lucas 20. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* In quo est ponderandus modus loquendi Christi: *Sathanas expetivit vos, (non te) ego rogavi pro te, (non pro vobis) ut non deficiat fides tua (non vestra) & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: & non dixit: vos confirmate.* Et ex isto omnes DD. probant, Pontificem Romanum esse supremum Judicem, contraversiarum fidei: ac, dum de rebus fidei, & morum ex Cathedra, etiam extra Concilium, loquitur, non posse falli, definire, aut errare. Etgo contra hanc loquuntur Authores propositionis, quatenus Pontificis infallibilitatem in rebus fidei, & morum negant; dum consent ad ipsum non esse respiciendum, tamen si declaret mentem S. Augustini in hac, vel illa propositione expressam, esse intelligendam in contrario sensu ab eo, quam, in quo privato Doctore videtur esse clara.

102. Sed quaeritur, quando Pontifex censeatur ex Cathedra loqui, & definire?

Resp. Cum loquitur, & definit formaliter, ut Pontifex Maximus, Supremus totius Ecclesiae Pastor, & Rector,

Doctore, ac Universalis Magister, à Deo constitutus pro docenda, dirigenda, instruenda, conservanda, ac confirmanda Ecclesia, & pro ea liberanda ab omni perversa doctrinae macula, & nevo: ut sit Christi Sponsa, pulchra sine macula, & ruga haereticalis, & corrupta doctrinae. Vel brevius: quando definit, docet universam Ecclesiam, ei proponens, quid credendum, quidve sequendum sit, intendens omnes ad observantiam obligare, ut credant, & operentur juxta suam definitionem, & propositionem. Nam sic agens operatur, ut Summus Pontifex, & Doctore Ecclesiae, habens supremum Magisterium fidei. Sic DD. communiter. Leytan. cit. discept. 6. sect. 11. & Guarnieri lib. 2. cap. 22.

103. Apud quos est commune, cum esse in Ecclesia Catholica habendum ut Haeticum, easque propositiones esse scandalosas, temerarias, novas, haeticas, &c. quae Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, ut Haeticum damnat, quasque sub ea respectivè censura prohibet: quare is loquatur extra Concilium. Nam Christus Dominus soli Petro, & non Petro cum Concilio promisit, & dedit claves: super Petrum Ecclesiam fundavit: pro eo rogavit, ut fides ejus non deficeret: ei que praecipit, ut fratres suos consumaret, pasceret, atque doceret. Et haec simpliciter Confessori sunt satis: interea videtur, quae dixi cap. 29. §. 2. & 4. offic. Cur. Ecclesiast.

104. Prop. 31. Bulla Urbani VIII. in emissenti est subreptitia.

Nota I. Constitutionem illam subreptitiam reputari, quae obtinetur, seu potius dolose extorquetur, per exposi-



tionem falsitatis; quemadmodum obrepticia illa præsumitur, quæ per fraudem impetratur, tacendo verum: quod, si fuisset expressum, non emanasset.

105. Nota 2. Præactam Bullam Urb. fuisse editam sub anno 1641. in qua confirmatur Const. B. Pii V. incipit, *ex omnibus*, & alia Greg. XIII. damnantium 79. propositiones, à Michaelæ Hajo assertas; & proscribitur liber, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii*, olim Iprei. Episcopi, alioque errores, ut in Bulla Urbani la 289. Bull. 10.5.

106. Nota 3. Ipsam Bullam ab Urbano prodidisse, loquente ex Cathedra, seu, ut Capite, & Magistro Ecclesiæ, ipsam docente, & instructe; ut per hæc in Constitutione exprimitur: ut, *quæ ad fidei Catholicæ conservationem à Prædecessoribus nostris providè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuò observentur, & cum opus sit, nostre Auctoritatis munimine confirmantur.* Quam ab omnibus observari voluit, prout hæc significant: *inhibentes insuper sub omnibus penis, & censuris in prædicta constitutione Pii Prædecessoris contentis (à quibus nullus Romano Pontifici inferior, excepto mortis articulo, absolvi contrafacientes possit) ne quis cuiuscunque conditionis, & qualitatis, etiam specialis, & specialissimæ nota, & expressione dignus, de prædictis, ut supra damnatis, & in præsentibus libro contentis, aliisque &c. quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, librumque, & alia prædicta penes se retinere, vel legere presumat: & infra. Nullo ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis Mattheus Cantela Confess.*

autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & B. Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

107. Ex quibus fit evidens. Authores propositionis, dum asserunt Bullam esse supreptitiam, profiteri, & eam esse falsam, & sententias per eam prohibitas, veras; consequenter Romanum Pontificem, ex Cathedra loquentem in materia morum, & iis, quæ ad rectè vivendum pertinent non esse Regulam infallibilem, & posse falsum, ac turpia docere; & honesta damnare. Quod affirmari nequit, nisi ab existente extra Ecclesiam, & pertinaciter asserente, Romanum Pontificem in formandis decretis, quibus noxia, & perniciofa doctrinarum pascua ab innoxiiis, & salubribus segregat, ex certa, & infallibili Spiritus Sancti assistentia non operari. Quos redarguit constans, & perpetua Ecclesiæ, ac hidelium consuetudo; consultandi Romanum Pontificem, in quibuscumque dubiis, & controversiis, quæ oriuntur circa fidem, & mores: ut, quæ credenda, & agenda sunt, sine periculo errandi: Ipso proponente, & docente, credantur, & agantur.

108. Dices. Urbanum non esse ex Cathedra loquentem, quia ad locutionem formalem ex Cathedra requiritur, ut Pontifex dicat, *definimus, decidimus*, vel aliquid simile, qua formula non est usus Urbanus.

Resp. Verbum *damnamus, prohibemus, mandamus pro vetitis, & prohibitis haberi*, in materia doctrina (in qua Pontifex errare non potest) est verbum simile, vel illis æquivalens. Nam hoc, (N n n n) quod



quod est damnare, seu prohibere doctrinam aliquam, tamquam hereticam, scandalosam, periculosam, &c. idem est, ac declarare, decidere. & definire, eam esse hereticam, scandalosam, &c. ut optime notavit Cardenas Cris. *Theol. dissert. 1. Proemial. c. 7. n. 124. ad prop. damn. ab Innoc. XI.* Urbanus autem utitur verbo, *prohibemus*, quod est idem, ac dicere; tamquam omnino certum declaramus, & definimus doctrinas (in constitutione prohibitas) vergere in scandalum totius Reipublice Christianae, & fidei Catholicae perniciem.

109. Teneas itaque constantissime, fidelissimeque doceas Romani Pontificis infallibilitatem in decidendis questionibus in materia fidei, & doctrinae, ad mores spectantis: considerans, quod securitas non errandi in credendo, & operando, in corpus Ecclesiae descendit à securitate non errandi, quae est in suo Capite. Quoniam, ne erraret Ecclesia, promissio facta est suo Magistro, illis verbis: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: eique infallibilitas data: e rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

110. Queritur, an decreta ab Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII. respectivè formata sint definitiones ipsorum Pontificum loquentium ex Cathedra?

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia tunc Romanus Pontifex loquitur ex Cathedra, quando loquitur ut Caput, & Magister Ecclesiae: tunc autem ut Caput, & Magister Ecclesiae loquitur, cum decretum edit pro universa Ecclesia, docens quid credendum, & quid agendum sit, illudque vult ab omnibus indubitan-

ter admitti, & observari. Sed omnes tres praefati Pontifices loquuti sunt ut Caput Ecclesiae, & decreta ediderunt pro universa Ecclesia, Egregantes noxia doctrinarum palcua, in perniciem animarum inventa, ab innoxiiis, & salubribus. Quorum observantiam stricto praecepto in virtute sanctae obedientiae, & sub poena excommunicationis (reservata Romanis Pontificibus absolute, praeterquam in mortis articulo) omnibus, & singulis fidelibus injunxerunt; prout in decretis expressè.

111. Sed queritur, an, cum quis in articulo mortis absolvitur ab excommunicatione incurfa, ex quo decretis contraxerit, aliquam ex aboletis prohibitionibus ad praxim deducendo, aut defendendo, vel de ipsa, nisi forsap ad impugnationem effectum, disputando, seu predicando, veniat, cessante periculo, se coram Sanctissimo praesentare.

Resp. Affirmativè, juxta text. in cap. eos. qui de sept. excomm. in 6. vide dicta lib. 1. cap. 2. num. 14. & cap. 33. num. 19. & ex ibi dictis collige praxim. Et Deo gratias age, si in tui commodum, huculque scripta aliquid utilitatis attulerint.

## CAPUT IV.

Votum.

APPENDICEM de voto sub unoquoque capite comprehendimus; in quo, si non singula, ad minus principiora inter Moralistas discussa, & frequentiora, quae ad Tribunal Sacramentale Poenitentes deferunt, Confessario exhibentur, ut nil ei in hoc opere de-  
randum



randum sit pro ordinaria ministerii instructione.

1. Circa vota erravit Michael de Molinos, qui tertia propositione, inter ceteras ab Innoc. XI. proscriptas, dixit: *i voti di far qualche cosa sono impediti vi della perfezione: & prop. 65. Alli Superiori si deve obedire nell' esteriore: e la latitudine del voto dell' obediēza de Religiosi, arriva solamente all' esteriore: nell' interiore è altra cosa, ove solo Dio, e la Guida entrano.*

2. Votum itaque est promissio libera facta Deo, de meliori bono. Ex qua definitione constat, ad votum quatuor requiri.

I. Requiritur, ut sit promissio, non propositum; nam, cum propositum sit voluntas dumtaxat faciendi aliquid, votum non constituit, ut dicitur cap. *Literaturam de voto.* Sed cum ea voluntate est necessaria voluntas se ex fidelitate obligandi Deo ad faciendum id, quod quis dicit se facturum; quae voluntas solet promissio nominari. Ubi advertendum, veram promissionem includere aequivalenter has duas voluntates, & faciendi rem, & se obligandi alteri; nam, ut optime Poncius *Theol. disp. 60. qu. 5. nu. 28.* dixit, non stat promissionem esse veram, ac menti conformem, & non esse cum animo faciendi, & se obligandi. Et sufficit promissio, sive interior, & mentis, sive exterior, verbis, aut scriptis expressa. Vid. *lib. 2. cap. 37. num. 2.*

3. Sed quaeritur, an, quando poenitens monitus à Confessario, ut à furto v. g. cesset, respondet: promitto me illud amplius non commissurum, votum emittat?

Resp. Negative, regulariter loquendo. Illud enim *promitto*, confunditur cum *propono*; nam poenitens intendit solam manifestare suum firmum animum, & voluntatem non furandi: non verò in casu transgressionis se obligare ad novum peccatum praeter id, quod furando committit contra praecipuum non furando.

Dixi *regulariter*, quia si promittens intendet se nova obligatione voti obligare, votum emitteret, & furando peccaret, non modo contra praecipuum de non furando, sed etiam contra Religionem, non stando fidelitati voti; nam Deo voveret implere, quod Confessario promitteret.

II. Requiritur *libertas*; nam votum sine libertate non subsistit. Quia, cum votum sit lex, quam sibi vovens imponit, rationabile est, ut liber sit, dum ad eam se obligat. Debet etiam ad vovendum procedere cum deliberatione, hoc est, cum advertentia ad materiam, quam voveret, sciens obligationem voti; & non inconsideratè, & praecipitanter: deliberatio enim est iudicium, seu actus rationis, quo quis ponderat, & decernit an sibi expediat vovere. Sum. Leand. *ver. votum. nu. 3. & 6.*

4. Sed quaeritur, quanta libertas sit necessaria ad valorem voti?

Resp. Quando sufficit ad peccandum mortaliter. Sufficit itaque ut quis sciens, & prudens, & cum advertentia ad id, quod agit, operetur, ut expressè dixit Gloss. ad cap. *Mulier 32. qu. 2. verb. Mulier*; nam libertas sufficiens, ut Diabolo devincti simus, sufficiens etiam est, ut Deo obligemur. Qui majorem circum-

(Nnn) 2      stantia-



stantiarum ponderationem exigit, loquitur cum præiudicio valoris votorum, & fidelitatis Deo debita, quia ferè semper posset quis prætereundere quasdam circumstantias non sufficienter prævidisse, ut bene discurret, ubi supra cit. Illung. & De la Cruz. *direct. cons. ar. 2.* de voto n. 3.

§. Queritur, an vota facta tempore tempestatis, aut mortis imminente periculo, seu metu alicujus mali vitandi, sint valida?

Resp. Sed prius distinguas, duplicem metum; unum ab intrinseco, à causa naturali proveniente, ut est metus gravis infirmitatis, mortis, imminens naufragio, aut ferorum animalium; & alium proveniente ab extrinseco, à causa animi libera, ut homine. In isto, etiam oportet distinguere, an sit levis, vel cadens in virum constantem, Metus nimirum gravis damni, nempe vitæ, mutilationis, gravis infamiae, iactura bonorum, nobilitatis, &c. Quod dampnum non temerè, sed prudenter timendum est, quia videlicet is, qui minatur, solet minas exequi, nec ei facile resisti potest. In isto pariter opus est distinctione: quia, vel iuste, vel iniuste incutitur: si iniuste: vel ad finem extorquendi votum, vel non: modò.

Doctores conveniunt. I. Quòd votum emissum ab eo, qui ad votandum movetur timore periculi, proveniente à causa naturali, validum est, ex *cap. sicut nobis de regul.* Ratio est, quia votum spontaneè emittitur; nam existens in eo periculo: poterat non votare, & votum eligit, ut remedium ad vitandum malum imminens, quod metuit. Quilici *Con-*

*fess. manud. qu. 1 §. ar. 2. num. 16.* Tambur. *lib. 1. in decalog. cap. 2 §. 8.*

II. Quòd votum emissum ob metum iustè, sive iniuste ab extrinseco incussum, sed non ad finem extorquendi votum, est validum, & obligat. Ratio est, quia tunc à nemine impellitur votens, sed spontè sua illud eligit, tamquam remedium imminenti scali.

III. Quòd validum est votum, emissum ob metum iustè incussum in ordine ad ipsum votum emittendum: v. g. damni, naturæ mulieris fortilega ad perpetuum carcerem, à quo tamen liberatur ea conditione, ut fiat Monialis: quod ipsa exequitur: cujus professio est valida per DD. Gobat. Tambur. Felicem, & Cabasut. *prax. lib. 3. cap. 24. num. 6.* Ratio est, quia tunc ei sine injuria, immò cum beneficio votum proponitur, non sub coactione, sed sub conditione evitandæ carcerationis, ut scilicet voteat, si malum, cui liberè vitam dedit, fugere velit. Qua etiam propositione stante, potest non votare.

IV. Quòd invalidum est votum emissum ex metu gravi, ab extrinseco iniuste incussum ad finem illud extorquendi, ut deciditur in *cap. Perlatum de vi. qua vi metu, &c.* ult. Pontifex mulierem metu iniusto mortis coactam ad vota Religiosa, ab eis liberam pronunciat; cap. 5. est, quia Deus non acceptat, quod non est omninò spontaneum: ne iniustas coactiones videatur approbare: prout notavit Quilici, ubi supra.

6. Sed hic ponderandum, quòd Pontifex in *alleg. cap.* sumat professionem, metu mortis emissam non obligare ad observantiam, modò profitens ex post facto



ho liberè non consentiat, & ratum habeat: quod videtur moraliter impossibile, ut non contingat in iis Religiosis allegantibus contra validitatem professionis vim, & metum à parentibus, vel aliis, ad eum finem incultum; dum ad plures annos, etiam post quinquennium à Trid. sess. 25. cap. 19. de regul. statutum ad allegandum contra professionem, in Religione vivunt, & in actionibus, solis professis proprias, communicant; ac ad Ordines promoventur ad titulum paupertatis: scientes, quod aliter non promoverentur, nec ea munera obirent, nisi essent Religiosi.

7. Sed quaeritur, an in dubio, quod professio sit emissa per vim, & metum, praesumendum sit pro validitate professionis?

Resp. Affirmative; ratio est, quia professio stat pro professione, quæ est certa; nam solum dubitatur de modo. Idem resolvens Gobat. tom. 3. num. 33 & 8. in dubio, an metus fuerit levis, vel gravis, dixit, praesumendum fuisse levem, ex quo in dubio sit favendum valdè actui.

8. Sed quid de eo, qui dubitat, an votum emiserit?

Resp. Plures negant teneri votum implere, quia in casu possessio stat pro libertate; quemadmodum stat pro voto, cum quis est certus se vovisse, & dubius, an illud impleverit: sed tutius est, ut impleat: vide omnino lib. 1. cap. 16. num. 21. & cap. 20.

9. III. Requiritur, ut sit promissio facta Deo, quæ vota soli Deo fiunt; nam votum differt à promissione humana per hoc, quod illud sit promissio tendens ad obsequium, cultum, & attestatio-

nem excellentiæ Dei, à quo, ut ab Authore omnium bonorum aliquid impetrare intendimus.

10. Sed dices in quibusdam formulis professionis Religiosorum exprimitur, etiam nomen B. M. V. & aliorum Sanctorum; prout in formula professionis, quam emittunt Fr. Min. ut infra, ego N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, B. M. semper Virgini, B. Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi, Pater, toto tempore vite meae, &c. ergo potest quis Sanctis vovere.

Resp. Negando consequentiam; nam proprie soli Deo vovemus: vota enim continent adorationem Patriæ, quam exhibemus in attestationem divini excellentiæ; Sanctis autem non debetur cultus Patriæ ex dictis lib. 3. cap. 3. nu. 46. ergo eis non vovemus. Illa additione nominum SS. Virginis, & Sanctorum in formulis professionum contenta, solum significatur, quod Deo vovens Sanctos adhibeat, & advocet, in mediatores, testes, & patronos suæ promissionis, ut Deo offerant, testentur, & impetrent fidelem emissionem, & executionem voti. Nomen autem suscipientis votum in alleg. formulis exprimitur, etiam ut testis, quod vovens implebit id, quod promittit. Summa Leandr. citat. num. 52.

11. Hinc colligitur, quorundam modum loquendi, dicentium: vovi D. Antonio jejanare: S. P. Dominici Ecclesiam visitare: istum sensum facere, quod votum sit Deo factum in honorem S. P. Dominici, & D. Antonii.

Et observandum, quod licet, etiam ad B. Virginem, & Sanctos sæpissime  
(Nun) 3 ora-



orationes nostræ dirigantur, diverso tamen modo Deum, & Sanctos invocamus; nam ut observat Catechismus Conc. Trid. p. 4. §. quis orandus n. 3. Deum precamur, ut ipse vel bona det, vel liberet à malis: à Sanctis autem (quia Deo chari sunt, & amici) petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis (suis precibus) à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes. Ad Deum enim proprie dicimus. *Miserere nobis. Audi nos: ad Sanctos autem, orate pro nobis.*

Propterea illud maxime cavendum est omnibus, ut ibid. nu. 5. notavit, ne, quod Dei proprium est, cuiquam præterea tribuant; immò vero, cum ad Imaginem Sancti alicujus quis Dominicam Orationem (Pater noster) pronunciat, ita tum sentiat se ab illo petere, & secum oret, sibi que postulet ea, qua Dominica Orationis formula continentur, & sui denique sit interpres, & deprecator ad Deum: à quo bona omnia procedunt.

Nec per recursum ad Sanctorum intercessionem præjudicatur merito Christi mediatoris, & redemptoris omnium, ut Catholicis ab hæreticis objicitur. Nam potius in maximam Christi gloriam cedit, quod ipse meruerit, ut ipsi possent pro aliis intercedere. Quapropter ipsorum intercessionem vim habent ex meritis Christi, qui solus est redemptor, & primarius mediator. Propterea quidquid Ecclesia, adhibita etiam intercessione Sanctorum, petit à Deo, totum se impetraturam per merita Christi proficit; orationes proinde, & petitio-

nes hæc verbis absolvens. *Per Christum Dominum nostrum, orans Deum, ut propter Christi merita se ipsam emendat, & concedat quod petit. De invocatione Sanctorum videri potest Petavius Theolog. dogmat. de Angel. lib. 2. cap. 10. & de Incarnat. lib. 12. cap. 5. nu. 1. & not dicturi sumus in opere dogmatico, quod præsidio Dñi quamprimum absolutam dabimus.*

Consentiant Campionus part. 2. infr. cap. 23. cum Sum. Leandr. loco cit. & Engel. colleg. jur. can. lib. 3. tit. num. 8. sustinentes promissiones Sanctis factas, vota reputari, quia saltem mediis Deo fieri censentur, quatenus Deus in ipsis colitur, & id, quod petitur, à Deo per intercessionem Sanctorum impetrari speratur.

12. IV. Requiritur, ut si de meliori bono, hoc est, de iis, quæ Deo magis placeant, & magis sunt ipsi grata. Hinc loquitur, quod ut votum sit validum, & obliget, materia ipsius non debet præjudicare meliori bono, & Deo magis gratæ: ac debet esse possibilis, non mala, non vana, non inutilis, non indifferens. Ratio est, quia votum editur in cultum, & reverentiam Dei, & de re, quæ ipsi placet, cui res impossibilis, indifferens, &c. placere non potest, nec in ejus reverentiam cedere.

13. Propterea si, quia ex equo cecidisti, voveas amplius non equitatum, vel quia passus es in mari, voveas non iterum navigatum, vel quia in saxa ostendisti, per talem viam non transurum, &c. votum est nullum, nec obligat, quia Deo displicet imprudens, & stulta promissio. Si verò voveas, per talem viam non transurum



ad fugiendam occasionem proximam, votum tenet, quia id Deo placet, & ordinatur in finem bonum.

14. Sed quaeritur, an teneat votum de re bona ob malum finem, ut, si Dux ad bellum iniustum proficiscens, voveat aedificare Templum, si victor erit; vel usurarius elargiri elemosynas, si usuras integras à debitoribus percepit?

Resp. Negativè; quia votum emittere ad obtinendam à Deo rem illicitam: vel, ut in gratiarum actionem, quod res illicita, quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala, & blasphema operatio, quia Deo adscribit peccata placere, ad ipsa specialiter concurrere, eaque approbare. Si verò Dux voveret, volo aedificare Templum, postquam victoriam reportavero, absque intentione, mediante voto talem hunc illicitum consequendi, votum obligaret, quia non moveretur ad vovendum ex victoria reportanda, sed statueretur, ut conditio exolvendi voti, simpliciter emissi.

15. Quaeritur, Petrus emisit votum contrahendi matrimonium, petitur, an teneat?

Resp. Negativè; ratio est, quia vovens intendit aliquid gratum facere Deo: sed obligando se ad minus bonum, matrimonium nimirum (quo melius est oppositum, scilicet Religio, & castitas) non obligat se ad faciendum, quod est Deo gratum: imò potius, ad non amplectendum majus bonum. Limitant DD. si videat extra matrimonium se frequenter incidere in peccata carnis; quia in his circumstantiis melius est nubere, quam non nubere, & votum

obligat. Felix nu. 1816. Sum. Leandr. & Campion.

16. Sed quaeritur, cur potius iuramentum de incundo matrimonio alicui factum, simpliciter obliget c. commissum de sponsalibus, & non etiam votum?

Resp. Quia votum Deo propriè fit, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni; iuramentum autem fit homini (cum divina solum attestazione) qui id simpliciter acceptat, quatenus inde ei utilitas provenit. Verum jurans posset, etiam ingredi Religionem; sed tutius foret, ut, Religione iuramenti servata, prius contraheret, & postea ante copulam carnalem monasterium intraret, ut ibi Pontifex, & Glos.

17. Quaeritur, an sit validum votum non vovendi?

Resp. Negativè; nam est impeditivum majoris boni, cum melius sit vovere, quam non vovere: quia vovere est actus Religionis, & non vovere istum excludit.

18. Quaeritur, quot peccata committat Petrus vovens die festo audire Missam, si Missam non audiat?

Resp. Duplex, quia duplici obligatione ad Missam tenetur: ex præcepto Ecclesiae, & vi voti; & quamvis ambæ sint contra eandem virtutem Religionis, tamen sunt diversæ speciei moralis; quia ommissio auditionis Missæ est contra honestatem cultus, qui Deo ob suam supremam excellentiam, & dominium defertur per auditionem Missæ, & violatio voti contra honestatem, quæ est in colendo Deum per implementum promissionis alicujus rei, in obsequium, & servitium ipsius.

19. Nota, quòd licet propria materia voti

voti



voti sint opera consilii, sed supererogationis, votum de re, etiam aliis præcepta, est validam; nam materia aliis præcepta, est materia sufficiens voti, quia melius est facere opera, aliis præcepta, quam non facere. Tum quia, melius est facere aliquid ex voto, quam sine voto: aliis Scriptura non suaderet votere, Tum quia, quod fit ex voto, participat honestatem Religionis, supra honestatem, quam opus habet ex natura præcepti: unde jejunium, quod ad abstinentiam pertinet, ratione voti pertinet, etiam ad Religionem.

20. Quæritur, an valeat votum non peccandi?

Resp. I. Votum non peccandi mortaliter valet, quia est de re cum divina gratia moraliter possibili, & grata Deo, ut ex D. Thoma dixit De la Cruz.

Votum de vitando saltem divisivè, & in particulari quolibet peccato, etiam veniali, valet: ratio est, quia, etiam secluso voto, tenemur vitare omnia venialia in particulari, & divisivè, ergo hoc, Deo auxiliante, est moraliter possibile: aliis obligaremur ad impossibile. Secus dicendum de voto vitandi omnia venialia collectivè, quia ad hoc requiritur specialius auxilium Dei.

21. Quæritur, Cuius vovet Religionem ingredi, petitur, an teneatur omnes Religiones adire?

Resp. Videndum est, quid vovens intendat; nam obligatio voti in tantum se extendit, in quantum se extendit intentio voventis. Ideò, si vovens habuit animum adeundi omnes Religiones, si in una non recipiatur, tenetur adhibere morale diligentiam, ut in alia admitta-

tur. Sed, si animum habuit non adeundi omnes, sed unam tantum, in qua, si adhibitis diligentis, ut recipiatur, non recipitur, ad alias non tenetur: & reputatur liber à voto; nam tale votum habet conditionem subintellectam, si recipiatur ab Abbate. Fagnan. in 3. Decret. ad cap. Porrextum de Regul. nu. 3.

22. Sed quæritur, an qui è Monasterio exiit, non spontè, sed cōtè, quia nimirum à Superiore ante professionem ejectus fuit, sit liber à voto?

Resp. Affirmativè, quia votum intelligitur adimpletum; nam vovit Religionem ingredi, & Religionem intravit: nec ipse spontè, sed coactè exiit. Fagnan. cit. num. 58.

23. Sed quid, si expellatur ob defectum emendabilem?

Resp. Crediderim teneri ad se corrigendum, & iterum ingredi, ad minus aliam.

24. Quæritur, Laicus professus ex Ord. Min. hac Censuræ aperiit; Pauci, admissus fuit ad Religionem anno ætatis mex 18. per integrum annum in probatione stetit, post quem immediatè professionem emisit, sed contra Decreta Clementis VIII. super forma recipiendi. Novit, disponentis: ipsi autem Conversi non recipiantur ante vigesimum: vel, ut loquitur Innoc. X. Const. ad propagandam in Ord. Fr. Min. nec pro Laico (approbatur) qui vigesimum ætatis sue annum non expleverit: peto, an valide professionem emissem, & obliger ad observantiam Regula?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia in alleg. Const. Clement. & Innoc. non apponitur decretum irritans, nec irritatur, aut annullatur professio aliter facta. Quem admo-



admodum à Trid. *sess. 8. cap. cit.* irrita declaratur professio emissa ab eo, qui eam emittit ante decimum sextum annum expletum: vel, qui minori tempore, quam per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit. Ideo, cum tu professionem emiseras post 16. annum completum, quamvis ante 20. professio tenet; pro ut dixit Bordonus *cap. 7. de profess. Regul. num. 35.* & Barbosa. in *Trid. sess. 25. de regul. cap. 15. nu. 13.* referens pro validitate fuisse resolutum à S. Cong. Conc. 2. *Augusti. 1631. & 24. April. 1642.*

25. Hic nota non esse de substantia professionis, quod requiratur annus 20. consequenter ejus defectus non invalidat. Nam, tunc DD concordant aliquid esse de substantia actus, cum lex actum aliter factum irritat, & annullat per clausulam dispositioni adjectam, *irritum, & inane, &c.* sicut facit Trid. *cit.* Et propterea cum Pontifices exigunt annum 20. id non requirunt in ordine ad validitatem professionis, sed in ordine ad habilitatem, & labores, quibus Laici in Monasteriis deputantur.

26. Queritur, an obligemur sub mortali vota implere?

Resp. Affirmative, per se loquendo; nam votum est voluntarium, sed adimplere necessarium, ex Gloss. *ad cap. licet de voto.* Et patet ex Deuteronom. 23. ubi legitur. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: si moratus fueris, repntabitur tibi in peccatum.* Et patet, ex quo promissio homini facta, ab eo acceptata, ex genere suo obligat sub mortali, ut ipsi fides *Matthæi Cautela Confess.*

non frangatur, ergo & promissio voti facta Deo, à quo acceptatur.

Dixi *per se loquendo*, quia per accidens, si votum sit de re parva, obligat solum sub veniali, quia in ejus violatione parva irreverentia Deo fit: ita, si vovisti recitare quotidie Salutationem Angelicam, venialiter peccas, si uno, vel altero die omittas.

27. Sed nota, quod votum est promissio: in qualibet autem promissione duplex veritas consideratur, una de presenti: in hoc consistens, quod qui promittit, habeat animum se obligandi, & exequendi, quod promittit; alia de futuro, ut quis suo tempore exequatur, quod promissit. Circa primam veritatem non admittitur à Doctoribus parvitas materiæ: quia gravis irreverentia videtur esse Deo mentiri: circa secundam verò parvitatem concedunt: cum in transgressione non appareat gravis irreverentia in Deum. Sed videndum est, an vovens, etiam in re levi, voluerit se graviter obligare.

28. Nota etiam cum De la Cruz *nu. 9. Lezana Sum. Peyrin. de privil. Donat. prax. tom. 2. par. 2. tract. 16. quæst. 8.* professionem, quam emittunt, Personæ Sæculares de Tertio Ordine. Prædicat. & Min. quæ de pœnitentia nuncupantur, non continere obligationem voti; quia illud promitto, quo utantur, idem est, ac propono, & cum proposito confunditur. Videri possunt Const. Nicolai IV. *supra montem*, & Leon. X. *Inter cetera, in Bullar. Cherub.* Unde similes personæ Sæculares sunt instruendæ, ut sciant, ex vi talis professionis, & promissionis non obligari ad aliquam culpam, ne propter

(Oooo)

pter



pter ignorantiam, & errorem existiment, se ad promissa, etiam vi voti, teneri. Peccabunt tamen, si ad ea, aliàs præcepto al quo humano, vel divino sunt obstricti: vel, si interdant, etiam vi voti se obligare.

29. Quæritur, *Franciscus* vovit dare quotidie pauperi obolum in eleemosynam, per plures vices omittit, ad eum devenit ad materiam gravem; petitur, an teneatur sub mortali reddere illam quantitatem?

Resp. Affirmativè, quia quamvis in singulis omissionibus mortaliter non peccaverit, peccavit tamen in ultima omissione, quæ cum aliis moraliter conjuncta constituit materiam gravem; & peccat contra Religionem, si illam materiam non reddat. Discutitur à simili de furante sæpè minima; sed Vide *lib. 2. cap. 22. num 61* Et sicut peccat mortaliter contra justitiam, qui ab initio habet animum per parva furta furandi materiam gravem; sic mortaliter delinquit, si habeat animum omittendi totas illas parvas eleemosynas usque ad materiam gravem.

30. Quæritur, promittit *Petrus* dare Ecclesie Calicem aureum, & Ecclesia promissionem acceptat; deinde Deo voves se promissum Calicem eidem Ecclesie daturum, & non implet, petitur, quot peccata committit?

Resp. Duplex, alterum contra justitiam non reddens Ecclesie id, ad quod acquisivit jus; & alterum contra Religionem, violans votum Deo factum, & fidem frangens. *Campionus.*

31. Quæritur, an vovens jejunare in vigilia *S. Augustini*, teneatur alia die

jejunare, si in vigilia omittat jejunium?

Resp. Negativè; nam votum fuit factum in honorem Sancti, & est onus affixum diei, quemadmodum recitatio officii: & ideo infirmus sanitati restitutus, non est sollicitus supplere officia omissa. Sed peccavit mortaliter non jejunando.

32. Pro intelligentia notabis, cum qui vovet, posse taxare tempus pro suo voto, & tempus non determinare: si tempus non determinat, sed absolute vovet, v.g. eleemosynam dare, recitare Rosarium, &c. tenetur implere, cum primum commodè potest; ratio est, quia, si sine determinatione temporis rem promittit, præsumitur velle sine notabili dilatione solvere, dum potest sine gravi incommodo exequi.

33. Si verò tempus taxat: vel tempus assignatur ut terminus, & mensura completionis voti: vel votum sit intuitu, & ob devotionem talis temporis, in quo vovens intendit honorare aliquem Sanctum; Si primum, etiam tempore transacto, tenetur implere; sic, qui vovet dare quotidie eleemosynam, tenetur implere omnia, quia votum non est emissum ob devotionem talis temporis, sed in utilitatem pauperum: & ideo sepe durat obligatio dandi, dum non datur; sicut vovens intra mentem ingressi Religionem, transacto mense, ingressi tenetur, cum tempus non sit appositum ad finiendam obligationem, sed ad prescribendum terminum, ultra quem non differatur.

34. Si verò votum sit emissum ob devotionem talis temporis, seu in honorem & reverentiam v.g. talis Sancti, transacta vigilia,



gilia, & tali die, non tenetur supplere; quia votum fuit principaliter emittum ad exhibendum cultum tali Sancto, in tali determinato die: sed peccavit non implendo.

35. Sed petitur, an teneatur abstinere ab ovis, & lacticiis?

Resp. Negavit Felix t. 1. examen. num. 2859. ubi dixit in jejuniis, tum ex voto, tum à Confessario imposito, tum ad lucrandum Jubileum præscripto, non teneantur ad abstinendam ab ovis, & lacticiis, nisi exprimat. Contra quem est sententia communis, ex Doctrina D. Thomæ 2. 2. questione 187. art. 8. ad 3. ubi dicitur quod ova, & lacticia jejunantibus interdiciuntur: & infra: principaliter interdiciuntur carnes, quam ova, & lacticia: & statim: in jejuniis Quadragesimali interdiciuntur universaliter, etiam ova, & lacticia. Circa quarum abstinendam in aliis jejuniis diversa consuetudines existunt apud diversos; quas quisque observare debet, secundum morem eorum, inter quos conversatur. Modò, si vovens sit in loco, in quo consuetudo sit, quod in jejuniis, etiam extra Quadragesimam, jejunantes abstinere ab ovis, & lacticiis, & ipse abstinere debet. Nam in eo loco jejunium, nedum importat præceptum affirmativum, in hoc consistens; quod, qui in die jejunii vult comedere, semel tantum in die (excepto jentaculo serotino) comedere debeat; sed etiam negativum, de abstinencia à carnibus, ovis, & lacticiis. Præsertim, quia censetur vovere jejunium Ecclesiasticum juxta morem patriæ, & non aliàs. Ergo, si secundum utrumque non servat (nisi habeat licen-

tiam à Prælato legitimo pro lacticiis) jejunium transgreditur, & peccat. Ideo relinquendus Felix: cujus opinio est præteritè improbabilis.

36. Sicut altera ipsius non subsistit, in qua num. 2853. dixit Fr. Minor. non teneri in jejuniis Regulæ, extra Quadragesimam, hoc est, Adventus, & feria sexta abstinere ab ovis, & lacticiis. Nam loquitur contra Constitutiones Ordinis. In statutis Sambucanis capit. 2. §. 6. num. 1. de jejuniis, absolute ipsis præcepto, disponitur, ut abstinere etiam ab ovis, & lacticiis. De illo Adventus, Constitutiones Capituli Generalis, celeb. die Anno 1503. Interan. de mandato Alexand. VI. cap. 3. art. 2. apud Orb. Seraph. tom. 3. de jejuniis, hæc habent. Ad hanc autem Quadragesimam jejunandum Fratres sunt obligati modo, quo ceteri Christiani ad illam communem obligantur, ne lacticia in ea comedere nequeant. Prout etiam scripsit Marchant in Regula Sancti Francisci capit. 3. tit. 3. quest. 2. referens ex Hugone, De Dina, & quatuor Magistris: quod jejunia Regulæ sunt servanda juxta morem Patriæ, & jejunantium, ac Maxime Religiosorum, communem formam; ita quòd, si mos Patriæ, & jejunantium communis consuetudo in jejuniis, etiam extra Quadragesimam, sit, abstinere ab ovis, & lacticiis, abstinere debeant: postquam id dixerunt Sanctoro, & Ameno. Vide lib. 1. cap. 16. §. 21.

37. Quæritur, quam personam possint vovere?

Resp. Omnes, quæ habent usum rationis, & ætatem sufficientem ad peccandum.



candum mortaliter; quia omnes isti possunt promittere rem honestam, & Deo gratam, ac intelligere obligationem, quam votendo contrahunt. *Sum. Leand. num. 43.* & Felix.

Sed dices, ergo valida sunt vota emissa ab adolescentibus ante annum pubertatis, & à Religiosis, ac Uxoribus.

Resp. Affirmativè, si non sint præjudicialia Parentibus, Religioni, Marito, vel Familiz.

38. Quæritur, an Parentes possint irritare omnia vota à filio emissa ante annum pubertatis?

Resp. Affirmativè, colligitur ex *cap. puella 20. qu. 2.* Ratio est, quia ordinariè ante annos pubertatis carent perfecto usu rationis, & propterea subduntur Parentibus (& loco istorum Tutoribus) in omnibus suis actionibus; maximè autem in obligationibus contrahendis: ne ex imprudentia operantes, in eis se supra modum gravatos postea inveniant.

39. Nota, mares dici impuberes ante completum Annum 14. & fæminas ante 12. Unde omnia vota emissa à Filiis masculis, antequam expleverint Annum 14. & à Fæminis, antequam duodecimum absolverint, dicuntur facta à Filiis impuberibus, & ante Annum pubertatis, consequenter à Parentibus irritabilia: quia sunt conditione subintellecta: *si Pater illa non irritat, ut dixit De la Cruz cit. num. 19.*

40. Sed quæritur, an omnia vota impuberum, tempore impubertatis facta, possint à Parentibus irritari post pubertatem?

Resp. Affirmativè, modò ea Filius tempore pubertatis non confirmaverit

Gobat. *cit. num. 175.* & Felix *num. 1920.*

41. Quæritur, *Cajus constitutus in sexto decimo ætatis anno, aperit Conventum, se post Annum decimum emisisset votum simplex castitatis, petit, an teneatur ad castitatem, & possit nubere?*

Resp. Interroget, an post Annum 14. votum ratificaverit: & dum affirmat, pronunciet tege ad continentiam, & Matrimonium non posse licitè contrahere; si verò post Annum prædictum votum ratum non habuit, ad continentiam non teneri dixit Fagnan. in 5. *Decretal. ad cap. Tua Litera de Cleric. per salt. prom. nu. 45.* Ratio est, quia, cum ante pubertatem non habeat potestatem coeundi, nec potest Matrimonium contrahere *cap. attestaciones de desponsat. impub.* quantumcumque sit doli capax, non potest rescindere ei, quod ignorat.

42. Sed quid, si major Annis 14. se ad continentiam obligaverit?

Resp. Tenetur servare, quia tunc ad coeundum est potens.

43. Quæritur, an Pater possit irritare vota filii edita tempore pubertatis?

Resp. Affirmativè, si hæc duo concurrant: unum, quod Filius maneat sub potestate Patris, & non sit emancipatus; & alterum, si illa præjudicent Patri potestati: ut sunt vota, quibus domus perturbatur, aut Filius infirmari timetur, ut longa peregrinatio, immoderata jentia, &c. Quia illa vota cedunt in damnum, etiam Patris, cessando ab ejus servitio, & sunt causa expensarum; vel, saltem dicantur De la Cruz, & compuni, posse Parentes suspendere istorum votorum executionem usque ad tempus, quo Filius sui juris fuerit, atque erit extra minoritatem:



tatem: quod contingit post Annum 25. completum; usque ad tale tempus Filii dicuntur minores, & quoad honorum administrationem subijciuntur Curatori, si Patris, & Avo Paterno deficientibus, talis subrogatus sit.

44. Non potest tamen irritare vota ipsi non præjudicantia, ut votum moderati jejunii, orationis, moderatæ elemosynæ de proprio peculio, bonorum castrensium, vgl. quasi castrensium, Religionis, castitatis, &c. Quia Filius pubes, non emancipatus, in his est omnino sui juris: & hæc intelligantur facta sine conditione si Pater consentiat.

45. Quæritur, an Superior possit irritare vota Religiosi subditi?

Resp. Affirmative, sic DD. communiter, propter subordinationem voluntatis Religiosi ad illam Prælati. Hinc, si emittant votum de vetitis à Regula, aut Superiore, ut de peregrinando: subintelligitur, si Prælatus licentiam concedat; si verò de non vetitis, subintelligitur, si Superior non resistat.

Excipiuntur, votum transvadi ad altiorum Religionem, ex cap. licet de Regul. & vota in professione emissa.

46. Abbatissa quoque, & Priorissa propter potestatem dominativam in voluntatem, & actiones Monialium possunt ipsarum vota irritare, quæ regimini Monasterii, aut Monialis valetudini, vel debite sibi subjectioni officiant: aliàs, quando aliquid Monialibus præcipere, possent statim respondere: non possunt, nec teneor hoc exequi, quia contrarium voti: quod est absurdum, & contra Ordinem Status Religiosi. Sed non possunt dispensatione relaxare, vel commutatio-

ne obligationem in aliam materiam transferre, quia carent jurisdictione Ecclesiastica. Cabasut, prax. lib. 1. cap. 8. num. 22. in fine.

47. Quæritur, an Domini possint irritare vota suorum mancipiorum?

Resp. Affirmant plures, maxime de votis, quæ impediunt Domini servitium: ut esset votum peregrinationis; intrandi Religionem, &c. Secus de aliis, quæ in damnum ipsius non cedunt, ut est votum non jurandi, castitatis, moderati jejunii, &c. Sed magis placet asserere cum Ilfung. posse prima solum suspendere pro tempore, quo obsequio illorum præjudicant; ratio est, quia Domini habent solum dominium utile in mancipium, & servum, ergo ea tantum vota, & pro ea quantum tempore possunt suspendere, quamdiu eorum dominio utili, debito nimirum obsequio, præjudicant.

48. Quæritur, an Maritus possit irritare omnia vota Uxoris?

Resp. Negative, sed ea sola, quæ præjudicant usui matrimonii, educationi proles, & administrationi familiæ; quia subiectio Uxoris erga Maritum est in rebus, ad prædictos matrimoniales fines spectantibus; quæ subiectio fundatur solum in contractu Matrimonii, ergo potestas Mariti extenditur solum ad irritanda vota Uxoris, in materia contractui matrimoniali subiecta; & sic potest irritare votum frequentis jejunii, quo inhabilis reddi posset ad usum Matrimonii, illud peregrinationis, immoderatæ elemosynæ, &c.

49. Sed quæritur, an possit Uxor irritare illa viri?

Resp. Directè non potest, sed solum indirectè

(O o o o) 3

directè



directè. Hinc nota duplicem esse irritationem, directam, & indirectam; directam, est annullatio voti facta ab eo, cui subiecta est voluntas votantis: indirecta verò, est suspensio voti, quatenus ei subiecta est materia voti, cuius executio ei præiudicat: quare Uxor non potest viri vota directè irritare, quia vir non est Uxori quoad voluntatem subiectus; nam vir est *caput mulieris ad Ephes. 5.* sed potest solum executionem voti suspendere, si sibi, ut sub statu Matrimoniali, præiudicet: propterea cum præiudicium cessat, votum indirectè irritatum reviviscit, & vir ad ipsum obligatur; nam non fuit extinctum in radice, sicut irritatum directè.

50. Sed quæritur, *uxor facit votum castitatis, per quod privatur iure petendi debitum, petitur, an maritus possit huiusmodi votum irritare?*

Resp. Negative, *ex cap. quidam, & c. placet de conver. conjug.* ubi deciditur, votum castitatis uxoris valere, & obligare ad non petendum debitum: cum hoc sit in eius potestate, sed reddere tenetur.

51. Sed quæritur, *uterque conjugum post consummatum matrimonium, mutuo consensu, vovent absolute castitatem, petitur, an possit vir votum uxoris irritare?*

Resp. Negative, *ex capit. quod Deo 5. qu. 5.* & neuter tunc potest petere, aut petenti reddere: quia uterque per suum consensum censetur juri suo petendi cessasse. *Marchant. resolut. Pastoral. cap. 2. qu. 20. de vot.* Observa, quòd altero conjugate mortuo, superstes tenetur castitatem servare.

52. Quæ diximus de irritatione votorum, servata proportione, extendimus ad irrationem juramentorum: adeo Superior ratione potestatis dominative in actiones subditorum, potest irritare omnia ipsorum juramenta, excepto eo, quod adjiceretur voto transeundi ad Ordinem strictiorem, vel votis propria Religionis; & Pater illa filii impuberis; ac vir ea uxoris: quatenus hæc præiudicant eorum potestati, & servitio; ratio est, quia omne juramentum hoc ipso, quod sequitur naturam promissionis, est conditionatum, si scilicet, *salvo iure Superioris, servari possit.* Ergo deficienti conditione, consensu nimirum, seu ratificatione Superioris, nullum est, & irritum, sive in honorem Dei, sive in utilitatem hominis sit editum.

53. Nota, quòd habentes facultatem irritandi, vel dispensandi in juramentis, et uti non possunt, quoad ea, quæ sunt facta in utilitatem tertii, ab ista acceptata: nisi iste consentiat: quia, ipso invito, non potest privari jure, quod habet in rem personam, & à se acceptatam. *Illung. tr. 5. disp. 1. qu. 2. art. 5. Vide lib. 2. cap. 17.*

54. Quæritur, *in quo differat irritatio à dispensatione, & commutatione voti?*

Resp. In hoc. I. Quia irritatio est actus potestatis dominative, quæ impeditur, & tollitur obligatio voti, à subdito contracta, tanquam præiudicans dominio Superioris. Dispensatio verò, est actus jurisdictionis, quo, in ista causa, tollitur, & remittitur obligatio in totum, vel in partem, nomine Dei.

Communitio tandem, est actus jurisdictionis, quo obligatio voti legitime causa mutatur, & transferitur in aliam



opus. In commutatione itaque non tollitur obligatio voti, sed transfertur, implenda in alia materia.

II. Quia irritatio potest fieri, etiam à Laico, ex quo jus irritandi fundetur in dominio pleno, & perfecto, quod quis habet respectu alterius, cujus actiones personales, & domesticas dirigit: Dispensatio autem non nisi à persona Ecclesiastica, habente jurisdictionem Ecclesiasticam. Commutatio potest fieri in æquale debet fieri auctoritate Ecclesiastica.

III. Quia irritatio facta sine causa est valida; nam subditus suo voto non potest suum Superiorem obligare, nec ipsum privare dominio in suas actiones; sed Superior sine causa irritans venialiter peccat, si votum subdito utile irritet. Sed tunc mortaliter delinquet, si sine causa rationabili irritet vdatum, ad quod emittendum licentiam concessit. *Numero- rum 30.* Dispensatio autem sine rationabili causa facta, invalida est, & illicita, quia fit nomine Dei, qui non acceptat, nec approbat relaxationem voti temerè, & imprudenter factam; nam, legitime non dispensat, sed bona sui Domini dissipat, cum ipsius jura, & ipsi debita, sine ista causa remittat. Commutatio patitur in opus æqualiter bonum sine causa nec licita est, nec valida; cum non præsumendam, Deum sine causa acceptare translationem obligationis voti in materiam æqualem.

55. Dixi in opus æquale, quia in rem evidenter meliorem potest vovens propria auctoritate suum votum commutare, (modò non sit reservatum) juxta *cap. ex multa de voto.* Nam in omni voto, saltem tacite, & interpretative

includitur hæc conditio, quòd vovens velit se obligare ad præstandam rem, nisi extem substituerit meliorem, id est, Deo gratiorem, & sibi ad animæ salutem utiliorem. *Illung. nu. 148.* Ita, si quis voveat dare Calicem argenteum Ecclesiæ B. M. & loco ipsius substituat aureum: & loco jejunii simplicis, illud in pane, & aqua, votum implet; nam in meliori includitur minus bonum, & aliquid plus: sed in æquale non potest; nam non potest aliquid loco alterius solvi, nisi promissarius consentiat. *Quilici q. 15. ar. 2. num. 35.*

Hinc fit, quod, ut dispensatio, & commutatio subsistant, requiruntur auctoritas, & causa: hujus sufficientia relinquuntur arbitrio viri prudentis, & timorati. Propterea Confessarii, quibus, vel in Jubilæis, vel extra datur facultas, dispensandi, vel commutandi vota, examinent, an causa rationabilis sit.

56. Sed nota in commutatione necessariam non esse causam, adeò gravem, sicut in dispensatione: ex quo in ista obligatio omnino tollatur; in illa verò non sic, sed de una ad aliam materiam transferatur impenda: adeò ut obligatio voti, quæ erat exequenda in jejunio, sit executioni danda in elemosyna.

57. Queritur, *quanam persona possit in votis dispensare, & ea commutare?*

Resp. I. Summus Pontifex supremam potestatem habet in omnia: & ipse dumtaxat in hæc quinque, sibi reservata dispensat. *Religionis approbata à S. Sede: Castitatis perpetue: Peregrinationis ad limina Apostolorum: S. Jacobi in*  
Com-



*Compostella: & Terra Sancta. II. S. Penitentiaria. III. Episcopi.*

§ 8. Sed quid, *ascendum de Confessariis Regularium quoad saculares?*

Resp. Possunt ex privilegio vota commutare, exceptis quinque reservatis Papæ, & aliis, ut infra. Quilici *Confess. manud. qu. 5. art. 4. num. 11. 12. & 13.* Tambut. *in Decalog lib. 3. cap. 16. num. 56.* De la Cruz *de privil. reg. lib. 2. cap. 6. dub. 8.* Hasbenis *sum. 9. 9. regul. ver. votum num. 58 1.* Felix *examen tom. 1. num. 1918.* Illung. *cit. num. 151.* referens à Paulo III. fuisse Confessariis Societatis delegatam potestatem commutandi vota non reservata; consequenter, etiam Religiosis gaudentibus communicatione privilegiorum cum Jesuitis. Lege extravag. Sixti IV. *Domusici, de penit. & remis. inter com.*

§ 9. Sed debent plura concurrere, 1. Ut Regularis sit approbatus ab Ordinario loci ad audiendas Confessiones Sæcularium. 2. Ut sit à Generali, vel Provinciali specialiter deputatus ad commutandum. 3. Ut in Ecclesiis tantum sui Ordinis ea facultate utatur. 4. Ut vota non sint Papæ reservata juxta *cap. ex multa de voto*: in quæ non potest, nec tempore Jubilei, nisi in literis exprimatur, & detur facultas. 5. Ut non sint reservata Episcopis: quamvis alii negent. 6. Ut vota non sint facta in favorem tertii, & ab eo acceptata, nisi ejusdem consensus accedat; quia privilegium non intelligitur datum cum præjudicio tertii. 7. Ut vota non sint jurata, ob duplex vinculum, voti nimirum, & juramenti, quia, cum Papa id concedere intendit, exprimit. 8. Ut commutatio

fiat pro foro conscientie tantum, & in actu Confessionis. 9. Ut in Monasteriis majoribus non deputentur, nisi tres, vel quatuor, & in minoribus unus, vel duo; & tandem, ut commutatio non fiat sine justa, & rationabili causa.

60. Sed quaritur; an, Regularis ab Ordinario approbatus, & à Superiori deputatus, possit etiam dispensare in impedimento petendi debitum conjugale. *Quid in eo est, qui votum simplex affinitatis emisit?*

Resp. De hoc diximus *lib. 2. c. 7. num. 5.* Et resolutio affirmativa, communiter inter allegatos recepta; quibus addo Ant. à Spir. Sancto *direct. Regul. tract. 2. disp. 1. sect. 2.* Felicem, etiam *num. 430.* Nicol. Flof. *ver. debit. conjug. num. 5.* adherentes, Confessarium Regularem ab Ordinario approbatum, & à Generali, vel Provinciali deputatum, posse dispensare in impedimento petendi debitum, contractum, vel voto simplici castitatis, vel etiam affinitate, aut cognatione spirituali (modò ista superveniant matrimonio) sed in foro conscientie tantum, & in actu Confessionis, ac in suis Ecclesiis dumtaxat; sed videant, ne in utendo facultate excedant: & an privilegia sint in usu, non revocate.

Advertant Confessores, qui in casu voti dispensant ad debitum petendum, debere dispensatum monere, quòd si nova Uxore, nisi potest licite nubere; sed teneat ad votum: & quod peccat, si iterum contrahat: ac non posse petere debitum à nova conjugate, sine nova dispensatione, ut dixit De la Cruz *cit. dub. 9.*

Item, ponderent hujusmodi dispensationem durare ad libitum, & expirare morte,



morte, ac mutatione Superioris, ut ex Lezana docuit alleg. Quilici: & nunquam esse deducendam ad praxim dispensando, nisi legitima accesserit causa; legitima reputatur, si conjuges non possint se continere.

61. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius in commutatione votorum?

Resp. Regula hujus rei certior dari nequit, quam prudens arbitrium Confessarii, qui, omnibus circumstantiis expensis, æqualitatem, quoad potest, servet.

Hinc Regula I. fit, ut votum perpetuum in perpetuum, personale in personale, & reale in reale obligationem ordinatæ commutetur: longam peregrinationem ex voto promissam commuta in frequentem visitationem Ecclesiæ; considera pericula, labores, & expensas pro eundo, & redeundo faciendas (quæ reputantur sub voto cadere) & obliga, ut expendat in aliquod pium opus, Piassec. prax. par. 2. cap. 1. art. 3. à num. 10. labores commuta in flagellationem, vel jejunium.

II. Regula, ut commutetur in id, quod est melius, & utilius ipsi votenti hic, & tunc, seu pro tempore, loco, & dispositione ipsius. Vovit pœnitens flagellationem, ad comandam carnem, commuta in jejunium: quod ad carnis mortificationem conducit.

III. Regula, ut consideretur, qualitas, & conditio votentis. Sic pauperi votum Eleemosynæ commuta in recitationem Rosarii, in servitium Hospitalis tot diebus, quot judicantur sufficientes ad compensandam quantitatem eleemosynæ promissæ. Debilibus verò, & laboran-

*Matthæi Cuius Confess.*

tibus, votum jejunii commuta in opera faciliora, proportionata statui, & completioni, ut, vel in eleemosynam, aut repetitionem auditionem Missæ die Festo, vel in recitationem Officii B. M. V. singulis Sabbatis, ad ratam dierum, quibus debebant jejunare: Cætera videas apud Tambur. in decalog. lib. 3. cap. 17. & à nobis dicta lib. 1. cap. 27. nu. 55.

62. Quæritur, accedit Religiosus Professus, petens à Confessario commutationem voti, quod in seculo emisit, in visendi singulis annis d. m. Lauretanam, petitur, an egeat commutatione?

Resp. Negative; nam per professionem Religiosam extinguuntur omnia alia vota simplicia, sive realia, sive personalia, facta in Novitiatu, vel in Seculo; textus expressus in cap. Litera de voto; etiamsi votum esset reservatum, ut ibi Gloss.

63. Quæritur, pœnitens hæc Confessario aperit, Pater: post susceptum Ordinem Subdiaconatus, Matrimonium contraxi, deinde audivi esse obstrictum voto solemnium castitatis, Sacris Ordinibus annexo, peto, an Matrimonium sit validum? Pro validitate habeo Authores, resolventes ignorantiam excusare ab obligatione voti; ego autem cum Ordinem suscepi, ignorabam obligationem servandæ continentiam suscipere; quid agendum Confessario?

Resp. Pronunciet Matrimonium esse nullum, & ipsum teneri ex obligatione voti solemnium (Sacris Ordinibus ex lege Ecclesiastica annexi cap. Amultis de a. rat. & qualit.) ad continentiam servandam; Ratio est, quia statim ac sciens, & prudens accipit id, cui est annexum votum castitatis, censetur virtualiter, & impli-

(Pppp)

impli-



implicitè castitatem vovere: propter communem regulam, quod, *qui recipit unum connexorum, censetur ad alterum se obligasse.*

Utique ignorantia excusat obligationem voti (quia ubi hæc est, cognitio deest, & ubi cognitio non adest, libertas in operando non datur, quia nil volitum, quin præcognitum) sed hæc in casu non datur, quia principale non ignoratur.

I. Sed observa, quod votum castitatis duplici modo emittitur, expressè, & implicitè, seu tacitè: *expressè, cum apertis verbis dicitur: voveo castitatem; implicitè verò, vel tacitè, cum aliquid aliud suscipitur, quod votum requirit, vel, cui est annexum castitatis votum: quod emittunt, qui ordinantur Ordinibus Saceris.*

II. Quod ignorantia à voto excusat, si sit circa substantiam, vel aliquid notabile spectans ad substantiam voti, aut circumstantiam notabiliter, mutantem materiam voti: quia nullus, nisi volens, obligatur.

III. Ex Engel. *lib. 3. tit. 3. nu. 7.* quod Deus non censetur acceptare vota simplicia in illis circumstantiis, quas non prævidimus: & si prævidissemus, non dedissemus consensum.

Dixi *vota simplicia*: quia aliter disceritur de solemnibus, propter manifestum discrimen, quod inter ea reperitur. Nam simplex constituitur sola voluntate voventis, se Deo obligantis, sine actuali sui traditione. Solemne verò, cum voventis voluntate perficitur per actualem sui traditionem, juxta dicenda *l. 4. c. ult.*

IV. Quod si vovens habet voluntatem vovendi eo modo, quo ceteri vovere so-

lent, tunc saltem implicitè, in obligationem consentit. Quod semper à Confessario præsternendum est, nisi contrarium probetur. Aliàs plures exculationem ad implendis votis allegarent.

Sed quid dicendum de eo, qui scias *Ordini Sacro esse annexum votum castitatis, ipsum suscipiens, diceret: nolo, nolo vovere castitatem?*

Resp. Gobat. exper. *Theol. tract. 8. c. 20. num. 758.* Hasbenis *Sum. qu. Regul. votum num. 466.* censent, eum ex vi voti ad castitatem non teneri, quia votum est promissio, & obligatio Deo facta, dependens essentialiter à voluntate: nam nullus promissione se obligat, nisi qui animum habet se obligandi, & cui vult se obligare, ut dixit *Gloss. ad cap. Exgratiam de voto in ver. proponens.* Quam tamen dixerunt ad castitatem teneri ex statuto Ecclesie, quo præcipit observantiam castitatis illi, qui noluit vovere, illumque inhabilem facit ad Matrimonium. Engel. *cit. à num. 4.*

Sed mihi satis probabile est, etiam ex obligatione voti teneri ad castitatem. Moveor, ex quo protestatio illa sic contraria facta; nam protestatur se noluisse continentiam vovere, & consentit recipiendo annexum: ergo tacitè censetur se ad continentiam obligare, & per susceptionem Ordinis protestationem destrui. A pari discuro de eo, qui protestatur, se credere Messiam venisse, & tamen Agnum Paschalem comedit, & Sabbatham more Judæorum colit; in quo cum protestatio sit facta contraria, non relevat ad excusandum ipsum ab errore contra fidem, ut optime discerit Carena *de offic. Inquisit. p. 2. tit. 1. num. 77.* Et



nos diximus *lib. 1. cap. 4. num. 19.* Ergo statim ac Ordinem suscipit, votum tacite edic. & implicitam voluntatem habet se obligandi. Vide *Layman. lib. 5. tr. 9. cap. 11. a num. 1.*

Duo peccata sic Ordinatus committit; alterum sacrilegii, suscipiens Ordinem in peccato: alterum decipiendo Ecclesiam, quæ ab ordinato vult castitatem promitti. *cap. Diaconus dist. 27.*

64. Quæritur, an voti obligatio transeat ad hæredes?

Resp. Considera aliud esse votum personale: quod solum ab ipsomet vovente impleri potest, quia promittitur aliquid præstandum ipsius voventis personali actione: ut, si voveas castitatem servare, jejunare, orare, Missam audire, &c. Aliud reale, ut, cum promittitur Deo, res danda, vel exponenda à vovente; ut elemosynam dare, Ecclesiam ædificare, &c. Et aliud mixtum, quod ex utroque participat: ut, cum Deo vovens promittit aliquid à sua actione distinctum: vel, non modo rem suam, sed etiam propriæ personæ officium, functionem, & ministerium: ut, se propriis manibus Ecclesiam ædificaturum, elemosynam daturum, suis sumptibus peregrinaturum, &c.

His intellectis. DD. concordant. I. Votum personale esse exequendum ab ipsomet vovente, cujus onera personalia ad hæredes non transeunt, nisi ipsi hæredes executionem voti in se liberè suscipiant: ratio est, quia obligatio personalis non est conjuncta cum hæreditate, sed cum persona, & cum ista extinguitur: à pari de privilegio personali. Nec testator potest hæredibus pro suo arbitrio eam obligationem imponere. Verùm, si hæres

sit voluntarius, & non necessarius, cui testator hæreditatem relinquit sub conditione, quod personalia vota impleat, tenetur, dum hæreditatem acceptat.

II. Obligationem voti realis ad hæredes transire, aded ut isti, post aditam hæreditatem, teneantur illa implere. Ratio est, quia, quemadmodum hæres suscipiens hæreditatem acquirit omnia jura, & commoda testatoris, sic etiam omnia onera, debita, & reales obligationes in se suscepit. Hinc cum testator sit factus debitor illius rei, in quam votum cadit, hærestale debitum solvere tenetur. Non quidem ex virtute Religionis, quæ solum voventem obligat, sed ex virtute justitiæ, ratione acceptatæ hæreditatis, una cum omnibus oneribus. *Layman. lib. 4. cap. 3. num. 12.*

III. Hæredes teneri ad vota mixta, secundum id, quod participant de votis realibus. Testator vovit visitare domum Lauretanam, atque ibi offerre argenteam lampadem, hæres ad istam dandam tenetur.

65. Sed pondera, hæredes non teneri solvere vota Defuncti ultra vires hæreditatis, sed cum proportionem ad illas. Unde prius debent deduci expensæ funerum, deinde legitima hæredis; quia hæc non poterat gravari à Testatore debito voluntario. Prius etiam debent solvi debita ex justitia: quia obligationes votorum implendæ sunt ex bonis Defuncti, de quibus poterat ipse disponere, qui disponere non poterat de illis, & alieno gravatis: quia ad ea jus Creditores habebant.

66. Sed quæritur, *Cajus habet apud se sex candelabra argentea, quæ ex voto promisit offerre Ecclesie B. M. V. interim,*

(Ppp) 2

ante



antequam verum exequatur, tamquam rebellis rapitur in vincula, cujus omnia bona addicuntur Fisco, id ipse sciens, manifestat Judici Saculari, se illa candelabra ex voto parasse B.V. petitur, an Judex Laicus possit ea candelabra in alios usus profanos convertere?

Resp. Negativè: Fiscus enim tenetur implere vota realia Rei. Nam, licet Fiscus non sit propriè hæres, habetur tamen loco hæredis, l. inter eas, §. Bonis, ff. de Eidejus. & ibi Gloss. in verb. ita fisci. Et tenetur ad debita Rei, l. non possunt, ff. de jure fisci. Ubi hæc sunt: non possunt ulla bona ad Fiscum pertinere, nisi que Creditoribus superflua sunt; id enim honorum cujusque esse intelligitur, quod alteri superest. Unde in casu, quo Judex in alios usus expendisset, deberet reddere æquivalens.

67. Quæritur, Antonius est obligatus voto ad audiendum Sacrum, recitandum Rosarium, & servandam castitatem, nullum ex his implet, confitetur hanc triplicem transgressionem, dicendo: tria vota à me emissa, semel sum transgressus; petitur, an satisfaciatur integritati Confessionis, si specificam malitiam non aperiat?

Resp. Negativè; nam promissiones specificantur à materia, seu actu ultimo, qui promittitur. Promittis recitare Rosarium flexis genibus: audire Sacrum diebus non Festis: pauperi elemosynam dare: Ecclesiam fundare: dotare puellam, &c. Teneris in Confessione explicare in specie, quodnam ex illis violasti: nec satis est dicere, peccavi contra Religionem, sed necesse est explicare actus, quos promissisti, & omisi-

si implere. Nam ex terminis apparet, moraliter loquendo, quòd decentia, & honestas, æquus est in hoc, quòd quis Deo exhibeat cultum, erogando pauperi elemosynam, voto promissam, alia sit ab ea, quæ apparet in obsequio, quòd inpenditur per adimplementum voti jejunandi: ergo diversa specie malitia, & turpitudine est in transgressione: ergo, ut sufficienter Petrus se accuset, debet explicare, quem ex illis scilicet omiserit.

68. Quæritur, Ferris post votum Religionis Matrimonium contraxit, post plures annos vir moritur, & ipsa sine filio relinquatur, petitur, an teneatur Monasterium ingredi?

Resp. Affirmativè; si non sit inhabilis effecta propter infirmitatem, vel ætatem; ratio est, quia nuptiæ illicitè celebratæ non extinxerunt obligationem voti: nec ullus de sua malitia commodum reportare debet c. intelligimus de transact. Si verò inhabilis sit effecta, deobligatur.

69. Quæritur, Cæsus certus est se vovisse dare Calicem Ecclesie S. Francisci, sed dubitat, an argenteum, vel aureum, ad quem Confessarius obligabit?

Resp. Ad argenteum, saltem quoad cuppam, quia præsumitur hunc vovisse: nam præsumptio fit ex regulis contingentibus, & regulariter Calices cuppam argenteam habent. Sed crederem esse considerandam qualitatem personæ; nam, si valdè dives foret, deberet præsumi se voluisse obligare ad Calicem argenteum ex integro.

70. Sed quæritur, vovit, determinatè dare hunc Calicem, hunc equum; equus moritur, & Calix à fure rapitur, petitur,



peritur, an sit obligandus supplere per  
 alia?

Resp. Negative, quia materia in indi-  
 viduo fuit taxata; sed, si vendidisset,  
 teneretur ad pretium, in quo virtuali-  
 ter, & æquivalenter manent. Quemad-  
 modum, si sua culpa, tam mors, quam  
 furtum evenissent.

Circa vota conditionalia, nota. I.  
 Quod emissa sub conditione contingen-  
 ter futura non obligant ante impletam  
 conditionem: voves dare eleemolynam,

si Pater convaluerit, si vivat, &c. po-  
 sita sanitate, & vita Patris, teneris im-  
 plesse; nam purificata conditione vo-  
 tum transit in absolutum. Promissio  
 Deo facta parit obligationem Religio-  
 nis; quæ in tantum obligat ad standum  
 promissis absolutè, quando conditio  
 intenta est impleta, ne lædatur honor  
 Dei, frangendo fidem promissionis. Su-  
 per cæteris consule DD. Nam hæc ad fi-  
 nem intentum satis videntur. Et de  
 tertio libro sufficiant.



(P P P P) 3

LIBER.